

Le texte présenté ici est celui de l'édition parue en 1622, chez Gomez de Loureyro. Le poème compte douze livres, et la numérisation de sa copie au format .PDF s'étant révélée ardue, nous ne proposons ici que les six premiers.

LIBER I.

DE CHRISTO NATO. ORACULA PROPHETARUM ET SIBYLLARUM.

(562 vers)

ORACULUM ISAIAE.

EGREDIETUR VIRGA DE RADICE JESSE ET FLOS DE RADICE EJUS. ISAIAE II.I

P1_1 v.1 Virga Palaestinis surgens pulcherrima silvis
 2 et florem et fructum nocte silente dabit.
 3 Aurea flos gratos ad sidera fundet odores,
 4 pellet inexpletam fructus ab orbe famem,
 5 nobilior numquam est decerptus ab arbore fructus
 6 nec poterit virga nobiliore dari.
 7 Virgo dabit florem tenerum ; cruce pendulus alta
 8 maturus roseo sanguine fructus erit,

ORACULUM JEREMIAE. SUSCITABO DAVID GERMEN JUSTUM. JEREM 23.

P1_2 v.1 Regia Davidico de stipite germinat arbor,
 2 illa novos flores et nova poma gerit.
 3 Ne tenerum laedant timeo mala frigora florem,
 4 cum riget hiberno frigida bruma gelu.
 5 Vere novo florent vernantia germina, flores
 6 terra parit, calidus cum prope Phoebus adest.
 7 Ver est purpureum ; mutarunt sidera cursus ;
 8 en bruma in media sol prope natus adest.

ET REGNABIT REX.

P1_3 v.1 Magnus ut aeternas in saecula flectat habenas,
 2 incipit a cunis aurea regna Puer,
 3 bos tibi, Rex, anima et tardus famulatur asellus.
 4 Advolat ad nutus rustica turma tuos.
 5 Aliger auratis suspensus ab aethere pennis
 6 te canit, argutis et tua regna modis,
 7 postmodo colla tibi subdent famulencia reges,
 8 ducet ad hospitium quos nova flamma tuum.
 9 Postmodo veridico tibi serviet ore sacerdos,
 10 accipiens tremula pondera grata manu.
 11 Femina conspicui tibi serviet Anna pudoris,
 12 laeta Pharetonii serviet ora soli.
 13 Et polus et Ditis loca feta silentibus umbris,
 14 ortus et occasus sub tua sceptrata cadent.
 15 Pulsus ob invidiam regno, regnabis : et hostis
 16 regales titulos, quos negat, ipse dabit,

ET SAPIENS ERIT.

P1_4 v.1 Quanta sub augusto sapientia pectore lucet !
 2 Illa novi partus dulce peregit opus.
 3 Oceanum augusta Sapientia clausit in urna
 4 quodque ingens caelum non capit, urna capit.
 5 Luna parit Solem, sed Sol sine lumine lucet ;
 6 frigidus est ignis, copia dives eget ;
 7 regia majestas servit praesepia surgunt
 8 pro solio ; comitum pro grege, vile pecus,
 9 sub nece caelicolum requies operosa laborat,
 10 et tremit, attoniti qui tremor orbis erat.
 11 Nil ultra quo tendat habet Sapientia : fecit
 12 quando Deum mortis flebile ludibrium.

ET FACIET JUDICIUM.

P1_5 v.1 Judicet ut mundum fixa est sententia caelo
 2 lacrimulis madidus qui jacet ora puer.
 3 Illius ad nutum superas tuba ducet in auras,
 4 quos fera mors perimens in cava busta tulit.
 5 Tunc nubem radiis ardentem lucis et auri
 6 Rex premet : ah quantum pallida regna tremant !
 7 Cernere erit variis signata volumina factis.
 8 Quos dabit, heu ! Judex quis feret ore sonos !
 9 Aurea dextra pios rutilantibus inseret astris,
 10 laeva reos fissa sub Styga mittet humo.
 11 Quam nunc mitis inest tenero clementia Regi,
 12 tam grave, flammanti tunc face, fulmen erit.
 13 Non tunc irati placabitur ira leonis,
 14 qui modo, si facti paenitet, agnus adest.

ET JUSTITIAM IN TERRA.

P1_6 v.1 Quam prius a terris facinus mortale fugarat
 2 justitiam, factis in sua regna vocat.

3 "Discite justitiam !", Pueri vox clamat ab antro ;
 4 vir quoque clamabit : "Discite justitiam !"
 5 Justitiam propter, Solymae sub moenibus altis,
 6 victima, purpurea sub nece tinget humum.
 7 "Perdite me", dicet sacra sacer agnus ab ara,
 8 "ne mundus possit perdere justitiam.
 9 Sospite justitia, vel funera laetus obibo :
 10 illa mihi vitam quam dedit, illa ferat.
 11 Hujus in amplexu vixi vitamque relinquo ;
 12 hujus eram vivus ; mortuus hujus ero."

IN DIEBUS ILLIS SALVABITUR JUDA.

P1_7 v.1 Certa salus, Judaea, tibi promittitur : ille
 2 qui jacet in cunis causa salutis erit.
 3 Non tibi de loculis medicamina promet eburnis
 4 inque Palaestinis balsama rara jugis.
 5 Vulnera non Indum super horrida fundet amomum :
 6 humanum medica plus valet arte malum.
 7 Ecce tibi geminos fundunt lacrimantia fontes
 8 lumina, sed mundo fons satis unus erat.
 9 Tertius erumpet ferro patefactus et hasta.
 10 O quantum mundo sanguinis ille dabit !
 11 Tantum erit ut possis merito exclamare : "Saluti
 12 nil Deus ulterius quod dare possit habet."

ET ISRAEL HABITABIT.

P1_8 v.1 En genus Isacidum positis agit otia curis,
 2 aurea pax jussit ponere corde metus.
 3 Pacis ad arbitrium totus componitur orbis
 4 et vicina cubat tutior agna lupo.
 5 Haedus ovans pardusque una requiescit in umbra
 6 nec prope pascentes trux leo tangit oves.
 7 Ursus et imbelles veniunt ad prata juvenci.
 8 More bovis stipulam ruminat ore leo.
 9 Quin puer immitis, depulsus ab ubere matris,
 10 aspidis intrepidus mittit in antra manus ;
 11 tutus ab insidiis super alta foramina ludit,
 12 trux ubi letifero regulus ore latet.
 13 Monstra quid est mirum placidis mitescere saeculis
 14 et rabiem saevas deposuisse feras !
 15 Quando Deus positis didicit mansuescere telis
 16 et tener est agnus qui leo saevus erat.

ET HOC EST NOMEN QUOD VOCABUNT EUM : DOMINUS, JUSTUS, NOSTER.

P1_9 v.1 Gentibus a domitis traxere vocabula reges :
 2 ille ferox victa Perside nomen habet,
 3 ille triumphatis deduxit nomen ab Indis ;
 4 Hic Asiae victas quod bene fregit opes.
 5 Victa dedit titulos aliis Europa superbos ;
 6 Africa bis nomen Marte subacta dedit.
 7 Nec face nec ferro nec forti milite pugnans,
 8 nec celebrem extincto ducis ab orbe notam.

9 Gentis ut humanae sceptrum regale teneres,
 10 quae vicit pietas per tua damna facit.
 11 Sola tibi titulos pietas facit ; inde triumphas,
 12 de qua vicisti nobile nomen habes.
 13 Haec sola paci victoria nomine signat :
 14 vincere te titulo laurea digna tuo est.

DOMINUS

P1_10 v.1 Qui Dominus rerum trifida face territat orbem,
 2 in stabulo servi pauperis instar habet.
 3 Vilibus in pannis Dominus deservit et illum
 4 nox videt, insolito lumine picta sinus.
 5 Nempe, ad servitium per amica silentia noctis
 6 ut vigilet Dominus, nascitur ante diem.

JUSTUS

P1_11 v.1 Qui grege de Stygio Pueri cunabula vidit,
 2 Luciferum, subito sub Styga mersus, adit.
 3 "Justus", ait, "vindex transformat et alterat orbem
 4 non face, non ferro : bellus at ore puer.
 5 Turma super cunas pluma rutilante pependit,
 6 rustica pagani dona tulere chori.
 7 Fax nova collucet, noctis fulsere tenebrae.
 8 O quantum regnis nox nocet ista tuis !
 9 Justus adest vindex captivumque asserit orbem,
 10 jure sibi raptas vendicat ultor oves.
 11 Illius, heu ! Modici vicere tonitrua fletus,
 12 fulmina habent lacrimae, lumina fulmen habent.
 13 Lusisti (satis est !) frondente sub arbore mundum,
 14 Lucifer : infanti tu modo lusus eris."

NOSTER

P1_12 v.1 Noster erit gelido qui fornice nascitur infans,
 2 ubera qui sugit lactea, noster erit.
 3 Noster erit quem nunc plumis chorus aliger aureis
 4 arguto celebrat pectine noster erit.
 5 Noster erit cui dona ferunt regalia reges,
 6 dum nova conspiciunt sidera : noster erit.
 7 Noster erit, quando miracula fecerit olim ;
 8 hunc quoque cum tulerit mors fera, noster erit.
 9 Jure Pater Natum exstinctum subduceret orbi ;
 10 sed quia dat natum, sub nece noster erit.

ORACULUM ISAIAE. VOCABITUR NOMEN EJUS ADMIRABILIS. ISAIAE 9.

P1_13 v.1 Tot titulos virtutis habes, tot nomina, princeps,
 2 mirus ab auspiciis ut videare tuis.
 3 Mirus hic est ortus, mira incunabula mundo ;
 4 mirus homo es ; mira simplicitate puer.
 5 Mira, parens Virgo ; mira est caelestis origo ;

6 mira senex patris nomina mirus habet.
 7 Gratia mira nitet roseis affusa labellis.
 8 Flammat et ingenuas purpura mira genas.
 9 Mirus honore auri et felici munere regum
 10 et pastorali mirus es obsequio.
 11 Mira super tremulum figes vestigia pontum.
 12 Mira dabis populis munera, mira feres.
 13 Mira dabis terris moriens spectacula : mortem
 14 Mors feret et vitam mortua vita dabit.
 15 Ipse dies noctem feret et, Phlegethontis ab umbris
 16 ante diem mirum nox dabit atra diem.

CONSILIARIUS

P1_14 v.1 Consilio moriturus adest celer angelus : ille
 2 consilio reparat grandia damna suo.
 3 Debilis ut fieret divina potentia, terris
 4 utile consilium (quis neget ?) ipse dedit.
 5 Majestas immensa breves ut sumeret artus,
 6 consilium, gentes quod beat, ipse dedit.
 7 Quae ditat superos, ut copia dives egeret,
 8 consilium, pauper quod tulit, ipse dedit.
 9 Delicias divum torquent quod frigora brumae,
 10 hoc quoque consilium, quod nocet, ipse dedit.
 11 Membra quod inficient rigidos infantia cultros
 12 sanguine, consilium, quod ferit, ipse dedit.
 13 Unum pro cunctis dabitur caput ; utile mundo
 14 ipse dedit, nocuum sed sibi consilium.

DEUS

P1_15 v.1 Quem sine matre Deum genuit Deus ; aurea Virgo
 2 quem sine patre hominem, quis neget esse Deum ?
 3 Quem natum "Attoniti pecudum sensere timores"
 4 rupe sub aerea, quis neget esse Deum ?
 5 Qui trahit Eoos parva ad praesepia reges,
 6 qui trahit et viles, quis neget esse Deum ?
 7 Qui Pelusiaci simulacra informia regni,
 8 dum fugit, evertit, quis neget esse Deum ?
 9 Qui tenet attonitos puer ad sacraria templi
 10 ore sacerdotes, quis neget esse Deum ?
 11 Saecula qui miserum felicia duxit in orbem
 12 mortis ab auspiciis, quis neget esse Deum ?
 13 Cujus et interitum tellus, mare, sidera, manes,
 14 marmora senserunt, quis neget esse Deum ?
 15 Ille Deus mundum lustrabit sanguine ; solus
 16 (quis neget ?) ad culpas sat Deus esse potest.

FORTIS

P1_16 v.1 Deposito thorace, ciet Mavortia bella
 2 fortis et in nuda miles inermis humo.
 3 Deposito clypeo et longe fulgentibus armis,
 4 terret Avernales fletibus ille duces.
 5 Quid faciet matura virum cum fecerit aetas ?

6 Terna uno morti vulnere regna dabit.
 7 Auferet imperium mundo, populabitur Orcum,
 8 Mors erit et praedae praeda cruenta suae.
 9 Sed mortem exspolians, mortem ditabit ; opimis
 10 numquam sic spoliis mors fera dives erit.

PATER FUTURI SAECLI

P1_17 v.1 Saecla Palaestinos referant antiqua parentes,
 2 hic genitor clarae posteritatis erit.
 3 Pignora lustrales gignet formosa per undas,
 4 pignora fons nivibus candidiora dabit.
 5 Sublimesque animas stellanti imponet Olympo,
 6 vita erit ad superos, mors violenta, globos.
 7 Mors alios viduat natis per funera patres,
 8 hujus ab interitu stirps nova major erit.
 9 Bis genitus, geminum faciet mortalibus ortum :
 10 unum terra, unum pulcher Olympus habet.
 11 Saecula dat caelo felicia, saecula terris :
 12 utraque dat natis continuanda Pater.

PRINCEPS PACIS

P1_18 v.1 Europam atque Asiam Libyamque in foedera ducet,
 2 junget inabrupta mutua corda fide.
 3 Tercentum vinclis bellum nodabit aenis,
 4 ne turbet placidae nobile pacis opus.
 5 Hoc duce, pax Tyrio longe sublimis in ostro,
 6 pacifica sumet regia sceptrum manu.
 7 Illa reget dictis animos et legibus aures :
 8 ducet ad obsequium Martia corda suum.
 9 "Unde genus traxit", dices, "generosa virago ?"
 10 Principis extrema de nece nata sui est.

ORACULUM ISAIAE.

NISI DOMINUS EXERCITUUM RELIQUISSET NOBIS SEMEN,
 QUASI SODOMA FUISSEMUS, ET QUASI GOMORRA SIMILES ESSEMUS.

P1_19 v.1 Nobile ni regno semen superesset ab alto.
 2 Nostra Gomorraeos sequeretur avos.
 3 Semen humo sparsum est, latitat sub rupe, tepente
 4 imbrem madet pulchrae Virginis, imbre suo.
 5 Quas fundet casias, quas rupto cortice myrrhas,
 6 cum rubra sacrificas imbuet unda manus !
 7 Producet roseos arma inter aenea flores,
 8 cana sed in placida lilia pace dabit.
 9 Tam varios flores leget hinc domus alta Tonantis
 10 quam vario exstabit semine dives humus.
 11 Quin dum sacra seges spatiosum impleverit orbem,
 12 omnis ab hoc uno semine messis erit.

ORACULUM DAVID.

SPECIOSUS FORMA PRAE FILIIS HOMINUM. PSAL 44

P1_20 v.1 "Aggredere o magnos - aderit jam tempus - honores"
 2 prospera felici corripe sceptris manu.
 3 Ora verecunda profer formosa juventa
 4 collaque, purpureis invidiosa comis !
 5 Orbis ad egregiae curret spectacula formae :
 6 forma tibi fasces et tibi regna dabit.
 7 Quos juga terruerant adamantina, forma reducet,
 8 quos fera terruerant fulmina, forma trahet.
 9 Maturabit ovans tua jussa capessere mundus :
 10 "Pone minas", dicet, "Rex ! tua forma sat est !"

ORACULA SIBYLLARUM.

ORACULUM SIBYLLAE PERSICAE.

P1_21 v.1 Parturiet Virgo ; natus pulcherrimus orbem
 2 ore trahet, cujus vector asellus erit.
 3 Ille ope siderea medicabitur ; ille salutem
 4 sontibus, eximia non sine laude, dabit.
 5 Sunt quibus immineant tam fausto tempore clades,
 6 at mihi veridicae dicere vera sat est.
 7 Matre Deus summus nascetur Virgine : solum
 8 Virgine par nasci est parturiente Deum.

SIBYLLA AD VIRGINEM

P1_22 v.1 O utinam, Regina, tibi servire liceret,
 2 servitia haec regnis plus mihi grata forent.
 3 Laeta ministrarem circum vestigia ; labris
 4 blanda darem plantis oscula mille tuis.
 5 Mens flagrat obsequiis ; frustra est intenta voluntas
 6 membraque quod nequeunt cetera, lingua facit.
 7 Tam nova quam partus tua sunt praeconia ; fetus
 8 flos cum flore tibi virginitatis erit.
 9 Saecla pudicitiam de te, Virgo aurea, discent,
 10 proque magisterio frons tua visa satis.

SIBYLLA AD PERSIAM.

P1_23 v.1 Persia, quid lunam, quid lumina solis adoras ?
 2 Persia luminibus plus mihi cara meis.
 3 Persia, quid sacros Vulcano impendis honores ?
 4 Quis nisi mentis inops bruta elementa colit ?
 5 Sole tuo Sol alter adest formosior : illum
 6 pura magis luna (res nova !) Luna dabit.

ORACULUM SIBYLLAE DELPHICAE.

P1_24 v.1 Non sero adveniet (felix quicumque recondit
 2 sensibus) aeterni nobile Regis opus :
 3 illius attonitum cumulabunt gaudia pectus,
 4 gaudia quae vates non fugitiva canet.
 5 Hunc pariet Virgo tactus ignara viriles,
 6 ut nova nascenti par sit origo Deo.
 7 Naturae exsuperat novus hic opera omnia partus :
 8 scilicet, est Auctor qui potiora facit.

ORACULUM AD VIRGINEM.

P1_25 v.1 Admiranda parens et Virgo integra, sacerdos
 2 Delphica servitiis dedicor una tuis.
 3 Virgo, tibi aeternos quoscumque addicor in usus,
 4 jus necis et vitae te penes omne meae.
 5 Felices oculi, felicia saecla videbunt
 6 quae te, quae Nati grandia facta tui.
 7 Felices ambo tam fausta prole parentes :
 8 non habet in terris ille vel illa parem.
 9 Tale decus veteres numquam acceperere parentes,
 10 quale Parens de te laetus uterque ferent.

SIBYLLA AD GRAECOS.

P1_26 v.1 Quid colis artificum, pubes Argiva, labores ?
 2 Quid colis humana marmora ficta manu ?
 3 Ascia si rudibus potuit dare numina truncis,
 4 si manus artificis Daedala numen habet,
 5 quod, si materiae nequeunt dare numina fabri,
 6 materiam vilem numen habere nega.
 7 Respice ad infantis certantia floribus ora,
 8 purpureis dices Numen inesse genis.
 9 Virginis os, habitum majestatemque tuere :
 10 protinus hanc Matrem dixeris esse Dei.
 11 Si tibi saxa placent, cur non gemmantia Nati
 12 lumina, dic, cur non gemmea Virgo placet ?

ORACULUM SIBYLLAE SAMIAE.

P1_27 v.1 Aurea lux aderit, mundo laetissima, noctis
 2 quae tenebras claro splendida sole fuget,
 3 Isaciae solvet quae caeca aenigmata gentis
 4 mystica quae rudibus carmina aperta dabit.
 5 Fas erit intactum vivorum attingere regem,
 6 quem dabit e sacro regia Virgo sinu.
 7 Annuit en caelum et radiantia sidera monstrant :
 8 sidera de cunis qui rotat ecquis erit ?

SIBYLLA AD VIRGINEM ET PUERUM.

P1_28 v.1 O si tam longos duret mihi vita per annos
 2 laetior ut videam Virginis ora meae,

3 infantis cunas et eburnea colla genasque
 4 ex oculis vitreas quas alit ignis aquas.
 5 Ut, cum perspicuis rorarint lumina guttis,
 6 ore mihi gemmas de lacrimante legam !
 7 Hinc mihi delicias, hinc ornamenta parabo,
 8 dives ut hinc etiam deliciosa ferar.
 9 Hae mihi sint gemmae, gemmant quae ex corde Tonantis,
 10 quas sacra parturiunt lumina, sudat amor.

SIBYLLA AD PIETATEM SUORUM.

P1_29 v.1 Ad veteres, pietas germana, revertere mores,
 2 est locus, est cultus, est pia cura tui.
 3 Vana superstitio penitus delebitur : arae
 4 praecipites adytis monstra profana ruent.
 5 Impia sacrilegos non imbuet hostia cultros :
 6 nobilior niveus qui litet Agnus erit.
 7 Ante suas aras humilem procumbere mundum
 8 coget Virgo Parens quemque alit illa Puer.
 9 Vim sine vi faciet lacrimis rorantibus Infans,
 10 casta verecundis Virgo modesta genis.
 11 Iracunda tonent e caelo fulmina, mundus
 12 stabit ; eant lacrimae pulchra per ora, cadet.
 13 Non face, non ferro debelles pectora ; blande
 14 expugnare animos vel lacrima una potest.

SIBYLLAE CUMANAE ORACULUM.

P1_30 v.1 Vera cano magni praenuntia Numinis ; illa
 2 ultima venturi nuntia Regis erunt.
 3 Praevia nascenti veniet pax alma ; sub illo
 4 otia terra ferax, otia mundus aget.
 5 Hunc etiam attonito melior caro vestiet ostro
 6 et facies humilis principis hujus erit.
 7 Mater erit Virgo similis quam pinget amictus :
 8 illius ornatu frons sacra gemma, pudor.

SIBYLLA AD PUERUM ET MATREM.

P1_31 v.1 Flos Puer, halantes inter pulcherrime flores,
 2 quem dedit Isacio florea virga solo.
 3 Pellicit o quantum mundum tua gratia ! Mentis
 4 quam tuus ad caeli sidera raptat odor !
 5 Pulvere de vili sublimis in aethera raptor :
 6 me facies Matris, me tua forma rapit.
 7 Omne ministerii genus exercebo, ministram
 8 si tua permittat gratia, Matris honor.
 9 Matri oculos reddo, Pueri do pectora : utrique
 10 cordis et affectus intima sense mei.
 11 Non mea, Matris ero Puerique infantis ; et esse
 12 cum mea sic renuo, tunc mea prorsus ero.

SIBYLLA AD ITALIAM.

P1_32 v.1 Italia imperiis, caelo duce, nata regendis,
 2 quam Tiberis ripis, quam lavat amne Padus,
 3 Colla humilis Puero submitte et colla Parenti,
 4 imperio valeas ut potiore frui.
 5 Tunc dabis imperiis jura alto e culmine, felix
 6 jura Parens dederit si tibi, jura Puer.
 7 Una per immensum Regina vocabere mundum,
 8 inclita totius tunc caput orbis eris.
 9 Arma triumphandum pugnax moliris in orbem ;
 10 plus tibi pax Pueri quam tua bella feret.
 11 Partem orbis Mavors, non totum subdet, at omnem
 12 ambo tibi quod non arma dedere dabunt.

ORACULUM SIBYLLAE HELLESPONTIACAE.

P1_33 v.1 Ut video, decorant caelestia numina nympham
 2 Virgineo servet quod speciosa decus.
 3 Munere digna suo visa est et numine proles
 4 splendescet, sacro quam dabit illa sinu.
 5 Mater erit subolis, quae pro genitore Tonantem,
 6 non hominem, vilis de grege gentis habet.
 7 Pax erit : et quando regnandum acceperit orbem,
 8 Numinis haec placidi dux erit, illa comes.

SIBYLLA AD MATREM ET PUERUM.

P1_34 v.1 Sunt inscripta animo Pueri mihi lumina belli,
 2 est facies bellae Virginis, ora, genae.
 3 Nectare et ambrosia praecordia nostra liquescunt
 4 cum subit haec animum, cum subit ille meum.
 5 Quod, si bella animum descripta oblectat imago,
 6 bella Parens, quid ages, belle quid ore Puer ?
 7 Exhalare animam possem dulcedine ; vitam
 8 gaudia qui cumulat, servat uterque meam.
 9 Non timeo hinc mortem nec tristia funera : mortem
 10 quam mihi luminibus cognita vita feret ?

SIBYLLA AD SUOS.

P1_35 v.1 Hellespontiacy colitis qui litoris oram,
 2 copia deliciis queis dedit ampla frui :
 3 non sine deliciis vivendum consulo. Divum
 4 delicias monstro deliciasque Dei.
 5 Per bona delicias sparsit diversa deum Rex,
 6 per bona divisas strenua cura legit.
 7 In Puerum coeunt, coeunt in pectora Matris
 8 deliciae dulces : largius inde fluunt.
 9 Omnibus hinc gemini prorumpunt nectare fontes ;
 10 quilibet exsultans quod volet inde feret,
 11 fontibus his nulla est mensura fluentibus : ille
 12 mensuram tantum qui sibi ponet habet.

ORACULUM SIBYLLAE PHRYGIAE.

P1_36 v.1 Vidimus iratum genus in mortale Tonantem,
 2 lucis egens sacrae quod suus error agit.
 3 Tot scelerum facies vitiant quot saecula. Prolem
 4 virgineos faciet Numen adire sinus.
 5 Nuntius e caelo veniet levis Aliger ; illum
 6 audiet extemplo Virgo futura Parens.
 7 Eluet infectum per foeda piacula mundum
 8 saeculaque in niveum turpia vertet ebur.

SIBYLLA AD VIRGINEM ET INFANTEM.

P1_37 v.1 Virgo futura meum succendit eburnea pectus,
 2 addit ad has Infans gemmeus ore faces,
 3 mens cupit Infanti Matrique impendere vitam,
 4 pro quibus exiguum mors mihi munus erit.
 5 Interea servire mihi suprema voluptas,
 6 dum pro prole nefas proque Parente mori.
 7 Mille dari cupio mihi lumina, mille lacertos,
 8 mille ministeriis pectora, mille manus.
 9 Nec si mille adsint satiabitur ista voluntas :
 10 omnia sunt votis vota minora meis.

SIBYLLA AD PHRYGES.

P1_38 v.1 Quid colis Idaeos pubes Trojana leones,
 2 quid colis Idaeis aspera monstra jugis ?
 3 I, cole formosae mitissima numina Matris,
 4 i, cole virginei pignora pulchra sinus.
 5 Matris ad adspectus mitescere disce vel Agni ;
 6 duritiem, verso pectore, pone tuam.
 7 Quid magis est Agno tenerum, quid mollius Agna ?
 8 Molle cor ut lanas Agnus et Agna gerunt.
 9 Hos cole, siderea pietatis imagine, fies
 10 De monstro, leni pectore, mitis homo.
 11 Te Phrygiae matris monstrum fecere leones :
 12 rursus homo Magnae munere Matris eris.

ORACULUM SIBYLLAE TIBURTINAE.

P1_39 v.1 Monstrarem ut dulci praestantem carmine Nympham,
 2 desuper afflavit pectora nostra Deus.
 3 Quae Nazaraeis in finibus integra prolem
 4 concipiet, sacro numine facta parens.
 5 Tectum carne Deum Bethlem famosa videbit,
 6 lacrimulas gravidis cum dabit ille genis.
 7 Felix quae talem lactaverit ubere prolem ;
 8 verum alet illa Hominem, verum alet illa Deum.

SIBYLLA AD VIRGINUM UT PUERUM.

P1_40 v.1 O si virgineum liceat mihi cernere florem
 2 quem non verna ferent tempora, fundet hiems !
 3 Altior imperiis regina videbor et astris
 4 ante pedes Pueri, Virginis ante pedes.
 5 Dulce ministerium famulans utrique subibo :
 6 ore fruar Pueri, Virginis ore fruar.
 7 Virgo mihi caelum referet, mihi lacteus Infans :
 8 delicias superum largius inde bibam.
 9 Dicere fas fuerit : "Sum felicissima, quando
 10 in terris caelo fas mihi posse frui."

SIBYLLA AD TIBURTINOS.

P1_41 v.1 Tibur, purpurei quod gloria veris honorat,
 2 sperne tuum, majus jam tibi monstro decus.
 3 Tibur, quod circum formosa rosaria vernant,
 4 sperne tuas, pulchras plus tibi monstro rosas.
 5 Tibur, quod circum gemmantia lilia cingunt,
 6 sperne tua, alba magis lilia monstro tuis.
 7 Quos natura tibi divisit Daedala flores,
 8 hic tibi collecto fundit amica sinu.
 9 Si tibi pars veris potuit placuisse : Puellus
 10 totum ubi ver fudit, displicuisse potest ?

ORACULUM SIBYLLAE ERITHRAEAE.

P1_42 v.1 Cerno Dei summo venientis ab aethere Prolem,
 2 cum referent faustos ultima saecla dies.
 3 Illum Hebraea dabit Puerum Virgo : at Puer, eheu !
 4 Et Virgo infami sub cruce damna ferent.

SIBYLLA ERITHRAEA AD PUERUM.

P1_43 v.1 Scinditur en nostrum studia in contraria pectus :
 2 gaudia cum summo mixta dolore fero !
 3 Dulce mihi spectare genas et eburnea colla :
 4 triste mihi Pueri cernere lacrimulas.
 5 Dulce mihi in mediis lucem spectare tenebris :
 6 triste mihi Puerum cernere dura pati.
 7 Saevit hiems, teneros frigus grave saevit in artus ;
 8 inchoat a gemitu jam sua damna Puer.
 9 Quam timeo ne dura ortus primordia duris
 10 funera principiis asperiora ferant !
 11 Haec ego non videam prius inter mortua luctus !
 12 Si videam, liceat cum moriente mori.

SIBYLLA AD INDIAM.

P1_44 v.1 India, divini quae Numinis inscia, luci
 2 solis et aurorae proxima, lucis eges !
 3 Numine pro sacro quid non veneraris ? Adoras

4 astra, homines, truncos, marmora, monstra, boves.
 5 Cultus adorantem tuus hic inhonorat et orbi
 6 stultitiae monstrat grandia monstra tuae.
 7 Jam Pueri ante pedes humiles procurrite, gentes,
 8 addite virgineis tura Sabaea focus.
 9 Eximios titulos vestigia sacra merentur :
 10 scilicet hinc miseris gentibus orta salus.

ORACULUM PRINCIPIBUS QUONDAM GRAECIAE ARGONAUTIS REDDITUM.

IN ORACULUM.

P1_45 v.1 Templum augustum ingens condit Pagasaeus Iason
 2 aurea dum fulvae vellera quaerit ovis.
 3 "Cujus erit", poscit, "templum ?" Respondet Apollo :
 4 "Quaerite quae stimulant ad decora ampla, viri.
 5 Summa Trias collecta placet mihi nomen in unum,
 6 quae regit imperiis infima, summa suis.
 7 Cuncta quod aeterna praecedit origine Verbum,
 8 cujus ad exemplar fingitur orbis opus ;
 9 omnia quod sternit victor, velut igneus arcus :
 10 cuncta Patri, vincet quae face, dona feret.
 11 Matrem hujus Mariam venientia saecula dicent ;
 12 illius hoc templum est. "Haec ubi dicta, tacet.

AD ARGONAUTAS DE CHRISTO AGNO.

P1_46 v.1 Cur, lecti heroes, Magnetide quaeritis Argo
 2 vellera, Phrixiae quae draco servat ovis ?
 3 Vellera quid petitis villis fulgentibus ? Agnus
 4 plus fortunato vellere dives adest.
 5 Agnus adest, niveo qui vellere vestit Olympum
 6 ditat et exuviis omnia regna suis.
 7 Non procul, heroes, vitreum transcurrite pontum ;
 8 corda amat et cordi proximus Agnus adest.

IN ARGONAUTAS DE VIRGINE AGNA.

P1_47 v.1 Caerula qui proceres Magnetide finditis Argo,
 2 puppe per undosum non opus ire salum.
 3 Aurea caeruleos ad vellera sistite cursus :
 4 sistite difficiles per freta longa vias.
 5 Spondeat auratum Colchis licet aurea vellus,
 6 Hellespontiaci plus dabit Agna soli.
 7 Immortale aurum pueri lactentis, ut agni,
 8 aurea virgineo nomine servat Ovis.
 9 Si sine morte datur mihi copia summa bonorum,
 10 cur ego particulas non sine morte petam ?

AD ARGONAUTAS.

P1_48 v.1 Quaeritis, heroes, Scythicum quid Phasida ? Ponti

2 quid tumidas celeri puppe secatis aquas ?
 3 Hic prope dives adest, pelago quem quaeritis, Agnus,
 4 Agnus habet nullum, quem dabit Agna, parem.
 5 Prodiga quin etiam divina potentia mundo
 6 nil dare plus poterat, nil dare majus habet.

AD CYZICONTINOS CIVES.

P1_49 v.1 Cyzicon incolitis priscis quicumque superbum
 2 moenibus, Aemoniae nobile gentis opus.
 3 Moenia non miror nec propugnacula caelo
 4 edita nec portus quos mare lambit aquis.
 5 Non Asiae gazas nec gemmea dona ; vetusto
 6 pro foribus templi miror in aere notas.
 7 Illic certa salus mundo promittitur, ortus
 8 seu nati adspicitur, seu parientis honor.
 9 Felices cives, seu dona ingentia nostis,
 10 seu sine notitia tanta videre licet.
 11 Tantum conspicuo patet alti in limine templi,
 12 quantum habet aetherae curia summa domus.

DE ARGONAUTIS.

P1_50 v.1 Allecta fama velleris aurei
 2 Argiva pubes it, duce Pallade,
 3 conscendit et sulcat profundi
 4 aequora Iasonia carina.
 5 Diro procellae turbine concitae
 6 inflant frementis caerula Nerei.
 7 Minantur in caelum ruinas
 8 aequorei sine more fluctus.
 9 Inter ruentes Cyaneas ratis
 10 multum laborat : mors gravis imminet.
 11 Vis fortis heroum procellas
 12 per medias Acheronta fugit.
 13 Vincuntur undae. Mars fremit impotens,
 14 immane, saevum, triste remurmurans.
 15 Heroas in caedes, in arma
 16 fulmineo rapit ense virtus.
 17 Sopore custos velleris incliti
 18 frenatur anguis. Vis quoque leniit
 19 fumante spirantes favilla
 20 aeripedes generosa tauros.
 21 Non corda terrent tanta pericula
 22 humana, pugnae, funera, turbines,
 23 dum pellis auratae bidentis
 24 ante oculos pretiosa fulget.
 25 Plus vincit auro caesaries suo
 26 flaventis Agni, plus coma fulgurat,
 27 plus frontis inflammant honores,
 28 plus niveae recreant papillae.
 29 O quantus astris de radiantibus
 30 splendescit ardor ! Dura per omnia
 31 deducit heroas : relucet
 32 spes animo potioris auri.
 33 Plus haec cupido mentibus aestuat,

34 plus pectus istis flammat in ignibus,
 35 fumante plus ardet Vesevo,
 36 plus Siculis recalet caminis.
 37 Plus vota possunt igne flagrantia
 38 dulcis Puelli quam necis impia
 39 tormenta : derident tyrannos,
 40 carnificum potiora turmis.

LIBER SECUNDUS.

DE SANCTISSIMIS CHRISTI PARENTIBUS.

(547 vers)

AD JOACHIMUM ET ANNAM. STERILES, SANCTISSIMAE VIRGINIS MARIAE PARENTES.

P2_1 v.1 Anna parens, gaude ! Felix Joachime, triumpha !
 2 Grandia de geminis pignora Olympus habet.
 3 Differtur proles tibi, non Joachime, negatur :
 4 utilis est fetus haec mora lenta tui.
 5 Natura excolitur maturaturque per annos.
 6 Possit ut uberior tam sacer esse sinus.
 7 Exspectes et sustineas, Joachime, necesse est.
 8 Lucra ferent ista, damnaque nulla, morae.
 9 Spem mundi exspectas reparatricemque polorum,
 10 quaeque alat infantem Virgo Parensque Deum.
 11 Ne tamen exspectes, Anna pariente, secundam :
 12 non dabitur natae nata secunda tuae.
 13 Verbum ait, hanc fingens : "Sit prima, sit ultima : justum est
 14 exhauriri artes in Genetrice meas."

AD JOACHIMUM ET ANNAM.

P2_2 v.1 Clara pudicitiae duo lumina, regia conjux,
 2 Anna, parens, ingens et Joachimus avis.
 3 Ut geminus turtur castum coluere cubile,
 4 summa quibus nivei cura pudoris erat.
 5 Ut vernant duros inter duo lilia sentes,
 6 talis in infandis floret uterque plagis.
 7 Corda, oculos, mentem sacrauit uterque pudori :
 8 virginis in partus is modus aptus erat.
 9 Transgressura polum poterat tam candida nasci

10 virginitas solum matre pudicitia.

IN ANNAM ET JOACHIMUM.

P2_3 v.1 Anna sacris claret virtutibus ; aemulus illi
 2 sidereum conjux servat honore decus.
 3 Certat in his pietas, concordia, certat honestas :
 4 pura fides, mitis vita, pudicus amor.
 5 Virtute exsuperat Matrona heroidas omnes,
 6 et sacer heroas vincit honore senex.
 7 Summa per hos vincit virtus fastigia, et inquit :
 8 "Proh quam dissimilis sum modo visa mihi !
 9 Ante humilis, nunc magna feror : sed maxima dicar
 10 ex his cum genetrix nata Tonantis erit."

AD D. JOACHIMUM

P2_4 v.1 Te licet attollant, Jochime, insignia regum
 2 victrices palmas qui rapuere manu :
 3 plus tibi posteritas dedit imperiosa Tonantis,
 4 qua pater es Mariae quaque Tonantis avus.
 5 Magna tibi est conjux, sed major filia : summus
 6 est tibi, bis gemina nobilitate, nepos.
 7 Quamvis attonito, fas est tibi dicere mundo :
 8 "Ipse mei verus sum genitoris avus."
 9 Hoc tibi vita dedit virtutibus aurea ; conjux
 10 hoc tibi promeruit casta torique fides.
 11 Non erat in terris thalamus sacratior, unde
 12 Virgo dari posset progenerura Deum.

AD ANNAM.

P2_5 v.1 Anna sinu quantum fundes de divite, quantum
 2 in gremio cernes ludere diva tuo !
 3 Ubere felici quantum lactabis ! Et orbi
 4 proh quas delicias caelicolisque dabis !
 5 Reginam imperiis, matrem mortalibus, astrum
 6 dulce mari, terris gaudia, nomen avis.
 7 Prodigium mundo dabis admirabile, terris
 8 mite patrocinium praesidiumque reis.
 9 Pacem homini, finem sceleri matremque Tonanti :
 10 anna parens, felix quam tibi partus erit !
 11 Inter fecundas suprema vocabere matres :
 12 filia, quae partu te tua vincat, erit.

AD. ANNAM.

P2_6 v.1 Anna parens, quamvis sine prole peregeris annos,
 2 parturies gravido pignora sacra sinu.
 3 Facta parens subito teneros mirabere partus,
 4 mille dabis genetrix oscula, mille feres.
 5 Filia dum niveo pendebit eburnea collo,
 6 cum dabit amplexus, sic licet, Anna, loqui :
 7 "Nolo ego divitias nec picta monilia gemmis :

8 matronale placet nec mihi dives onus.
 9 Pro gemma et baca, gemma pretiosior omni
 10 pendeat e collo gemmea nata meo."

DE IMMACULATA CONCEPTIONE VIRGINIS MARIAE ORACULA.
 'TOTA PULCHRA ES, AMICA MEA.'
 CANT 4. ORACULUM I

P2_7 v.1 Conceptus sine labe fluet, sine labe juvenus :
 2 hic tenor aetatis quae superabit erit.
 3 Talis erit qualem potui mihi fingere, qualem
 4 summa petit Nati gloria. Matris honor.
 5 Talis erit qualem Reginam affectat Olympus
 6 et teneram matrem pignora laeta volunt.
 7 Talis erit qualem produnt oracula, qualem
 8 artificis potuit reddere amica manus.

'IPSA CONTERET CAPUT TUUM.' GEN. 3.
 ORACULUM II.

P2_8 v.1 Dicite : "Io paeon !" et "Io" bis dicite "paeon !" ;
 2 Decidit ad teneros praeda petita pedes.
 3 Implicat ad plantas dum saeva volumina serpens,
 4 Virgo premit tenero jam pede nixa caput.
 5 Tam nova si tantum possunt vestigia, quantum
 6 Tartara majori robore Virgo premet ?
 7 Desperanda, draco, tibi erit victoria, quando
 8 de matris molli te ferit illa sinu.

DE EODEM ORACULO

P2_9 v.1 Pluto, quid incassum fundis male sane labores ?
 2 Damna parat rebus virgo tenella tuis.
 3 Insidias quid inepte paras ? Quid retia tendis
 4 subdola ? Virgo dolos non timet ista tuos.
 5 Torve draco, nescis divina oracula ? Dicunt :
 6 "Virgo caput, Pluton, conteret alma tuum."
 7 Vix concepta potest quod Virgo infringere, Pluton,
 8 hoc satis infirmum, quis neget, esse caput ?

DE EODEM ORACULO.

P2_10 v.1 Inchoat augustos ab origine Virgo triumphos,
 2 illa triumphatrix, ut puto, semper erit.
 3 Aegida non sumet nec aenea tela, sed ingens
 4 ludibrium tenerae Virginis, Orcus, eris.
 5 Materiam laudis magnis dabis, Orce, triumphis :
 6 inclita virtutis nomina Virgo feret.
 7 Vincere despera : quae vix concepta triumphat,
 8 spem tibi vincendi tam properata rapit.

'DOMINUS POSSEDDIT ME IN INITIO VIARUM SUARUM.'
 PROVERB 8. ORACULUM III.

P2_11 v.1 Quam cito Virgo tibi placide blanditur Olympus,
 2 quam cito sidereas dat tibi blandus opes !
 3 Quam cito virginea removens ab origine culpam.
 4 Addit muneribus grandia dona suis !
 5 Tam cito felices qui munere praevenit ortus,
 6 is tibi bis dici dona dedisse potest.

ORACULUM IV.

P2_12 v.1 Materies aeterna suo stat dives in auro,
 2 grandia quod sacri pignora amoris habet.
 3 Quod virgam et flores, quod partem nobilis escae,
 4 quod gerit aeternis marmora caesa notis.
 5 Scilicet, aeriae decus immortale cupressus
 6 servant, aeterno robore cedrus eat,
 7 aeternum nequeat servare intacta nitorem
 8 quae fuerit clauso Numinis arca sinu ?
 9 O pudor ! o monstrum ! lignis sit agrestior ipsis
 10 qui quod dat lignis, hoc tibi, Virgo, negat !

'PORRO ARCA FEREBATUR SUPER AQUAS'.
 GEN. 3. ORACULUM V

P2_13 v.1 Illa velut navis quae semina sustulit orbis,
 2 diluvium tumidis cum juga mersit aquis.
 3 Dum tumet unda potens, montes super innatat altos :
 4 cetera depereunt fluctibus, illa manet.
 5 Ultima nec sentit mersi dispendia mundi ;
 6 tuta magis medias inter aberrat aquas.
 7 Agnosco illaesam mediis in fluctibus arcam :
 8 hoc Maria in mundo nomen et omen habet.
 9 Perditus infecta vitietur origine mundus :
 10 pura tamen primo crimine Virgo manet.
 11 Quae prima est merito genetrix augusta Tonantis,
 12 nil mirum est prima si quoque labe vacet.

'AEDIFICAVIT DOMINUS DEUS COSTAM, QUAM TULERAT DE ADAM IN MULIEREM.'
 GENES 2. ORACULUM VI.

P2_14 v.1 Quam male viventum genetrix insana vocaris,
 2 o Eva, in natos dura noverca tuos !
 3 Pignora funestae gignis male credita morti,
 4 pignora ab exsequiis mortua nata tuis.
 5 Funera non nati, sentimus acerba, nepotes :
 6 et quam das, natis mortua vita venit.
 7 Et tamen, infami sine labe, ex osse mariti
 8 nasceris, exitium nescit origo tuum.
 9 Quae peperit mundo vitam, quae Virgo salutem,
 10 scilicet, exortu deteriore venit ?
 11 Quin tua si culpam, si crimina nescit origo,
 12 plus decet archetypum labe carere tuum.

'UNA MULIER HEBRAEA FECIT CONFUSIONEM IN DOMO REGIS NABUCHODONOSOR.'
JUDITH 14. ORACULUM VII.

P2_15 v.1 Taliter effatur Pluton maestissimus (umbrae
2 accipiunt maestos regis ab ore sonos) :
3 "vincit ovis tigrim, vincit nova dama leonem ;
4 quam nova vincendi gloria ! quantus honor !
5 Non sine terribili formidine vincimur omnes,
6 confundunt Stygias Virginis ora domos.
7 Ille ego consuetus non formidare Typhoeos,
8 more levis virgae Virginis ora tremo.
9 Gignitur, et maculas ignorat originis ; una
10 imperii frangit jura severa mei.
11 Quae non dum vivit materno e pectore ducit
12 nos contra imbelles Virgo tenella manus.
13 Dicemus, licet inviti, Phlegethontis alumni ;
14 vincimur absque anima, vincimur absque manu."

DE ORTU VIRGINIS MATRIS. 'ECCE NOVA FACIO OMNIA.'
APOCAL 21.

P2_16 v.1 More novo novitas nova nascitur, auspice caelo,
2 principium mirae quae novitatis erit.
3 More novo superas prodit nova mater in auras,
4 prole nova totam quae renovabit humum.
5 Lux nova succedet veteri, lux clarior umbris :
6 priscaque sunt sacris sacra novata novis.
7 Prodigiosa nova novitas novitate reperta est,
8 et nova virgo manens, fit nova virgo parens.
9 Virginei partus novitas miranda, sed ortae
10 mira magis novitas tam nova prolis erit.
11 Cuncta nihil miror fieri nova, summa Vetustas
12 quando tua, Virgo, de novitate nova est.

DE EODEM.

P2_17 v.1 Nasceris et tecum, Virgo aurea, nascitur orbis,
2 et tua natales lux habet una duos.
3 Te, decet ut mundo cuncta, apparente, noventur :
4 adspicias oculis ut nova cuncta tuis.

IN ORTUM VIRGINIS AUGUSTISSIMAE.

P2_18 v.1 Nascitur exemplum, cui non exempla fuerunt,
2 aemulaque archetypi Virgo magistra sui est.
3 Crescere ad exemplum possent si numina, tantae
4 Virginis exemplo vel meliora forent.

IN VIRGINEM NASCENTEM.

P2_19 v.1 Nascere, Virgo ingens, de qua nova discit Olympus,
2 et proba plus probitas de probitate tua est.
3 Virtutem virtus de te, Virgo aurea, discit,

4 deque pudicitia, facta pudica, pudor.

IN VIRGINEM NASCENTEM.

P2_20 v.1 Nasceris in summos, Regina, Tonantis amores,
2 pectoris intacti, qui sacer hospes erit.
3 Ut plus nemo dedit quam tu, Matrona, Tonanti
4 accipit a summo nemo Tonante magis.

IN VARIOS NASCENTIS VIRGINIS TITULOS :

'DEI GENETRIX'.

P2_21 v.1 Nascitur in titulos Virgo generosa superbos :
2 portentosa parens, nempe Tonantis, erit.
3 Quos titulos nemo melius quam Virgo meretur,
4 non poterant melius quam tibi, Virgo, dari.

'VIRGO VIRGINUM'.

P2_22 v.1 Virginitas, vix nota solo, jam laeta triumphata ;
2 militiae nata est Virgo magistra tuae.
3 Te nivei coetus et eburnea pectora cingunt :
4 florea Tartareo cum grege bella geres.
5 Pro thorace, nives, nivei pro casside flores.
6 Lilia pro jaculis, pro face candor erit.
7 Priamides ferro, ferro vicisset Achilles :
8 flore ruent subito castra inimica tuo.
9 Sat tener est hostis quem candida lilia frangunt,
10 est sat dura potens vincere flore manus.

'MATER VIVENTIUM'.

GEN 3.

P2_23 v.1 Mater adest vitae ; nascente, renascitur illa
2 vita, per audaces mortis adempta manus.
3 Illius insueto cuncta instaurantur in ortu,
4 multorumque ortus unius ortus habet.
5 Dicatur vitae genetrix paritura salutem ;
6 dicatur, mortem quae parit, anne parens ?

DE EODEM.

P2_24 v.1 Triste malum nobis primi peperere parentes,
2 extincto generi qui peperere necem.
3 Heu ! prius extincta est, fuerit quam nata propago :
4 non vivit, mortis tam grave vulnus habet.
5 Accipiant vitam, te, Virgo, auctore, nepotes,
6 qui non viventes sustinuerunt necem.
7 Prima parens tribuat non vivae funera proli :
8 da tu non natis, vivere posse, tuis.

'MATER PULCHRAE DILECTIONIS.'
ECCLES 24.

P2_25 v.1 Exhausere suas Natura et Gratia vires,
2 appinxere genas cum, sacra Virgo, tuas.
3 Sidera, Sol, Phoebe tantum ut videre decorem,
4 et decus et radios erubuere suos.
5 "Tollite de caelo", dixerunt, "lumina ; flammam,
6 sidera, sol, Phoebe Matris Amoris amant."

'CIVITAS REFUGII.'
NUM 35.

P2_26 v.1 Parturit Anna parens, manes gaudete sepulti :
2 Terra fugax, gaude, parturit Anna parens.
3 Parturit Anna parens reginam : exsultet Olympus,
4 gaudeat Oceanus : parturit Anna parens.
5 Parturit Anna parens : hominum gaudete timores,
6 quo fugiant timidi, parturit Anna parens.
7 Dira Parens caelo pariat si fulmina, Natam,
8 ad quam confugias, parturit Anna parens.
9 Dicere fas superis Anna pariente : "Tonantem
10 effugisse queat quo reus, Anna parit."

'ALTARE THYMIMATIS.'
EXOD 30.

P2_27 v.1 Nascitur en Virgo, quae menti inspirat amorem
2 deque suis flammis flammea corda facit.
3 Ut rogos inflammat cumulata altaria donis,
4 Virginis accendunt sic data corda faces.
5 Corda quot ignescunt accensa caloribus, ara
6 tot super accensa Virginis urit Amor.

'SCALA JACOB.'
GEN 27.

P2_28 v.1 Ingredere o magnos regni stellantis honores
2 Regina, empyreis addita scala plagis.
3 Te duce, terra humilis summo imponetur Olympo
4 perque gradus caelum terra erit ima tuos.

'NAVIS INSTITORIS DE LONGE PORTANS PANEM.'
PROV. 31.

P2_29 v.1 Puppis in Oceanum venit aurea : rector Olympus ;
2 causa fames : merces quid nisi panis erit ?

' STELLA MATUTINA.'
ECCL 30.

P2_30 v.1 Dulce malum nautis pelago Sirenes in alto,
2 auribus insidias dulciter ore parant.

3 Dira fremant vasto portenta immania ponto,
 4 quassa parent nigro mergere rostra salo :
 5 stet glacialis hiems, Aquilonibus asperet undas,
 6 dira polus ventis, dira minentur aquae.
 7 Stat matutinum sidus super aequor et undas,
 8 monstra fugat, ventos frenat et unda silet.
 9 Interitum Sirenes habent, dum dulcia cantant,
 10 mox ubi virgineum fulsit in orbe jubar.
 11 Dulciter aut pereo, vivo vel dulciter ; odi
 12 dulcem obitum : dulcis plus mihi vita placet.

'PULCHRA UT LUNA.'
 CANT 6.

P2_31 v.1 Nasceris, obscuris ut candida luna tenebris :
 2 miratur tenerum nox jubar ; umbra fugit.
 3 Victa tuis cedit sic luna nitoribus, ignes
 4 subjiciat plantis ut, sacra Virgo, tuis.

'CASTRORUM ACIES ORDINATA.'
 CANT. 6.

P2_32 v.1 Millia castrorum praefert quae nascitur : una est,
 2 innumerosque refert una puella globos.
 3 Tartara formidunt quam feta draconibus unam ?
 4 In Styga quam multos frons gerit una metus ?

'SOLIUM GLORIAE DEI.'
 JEREM 14.

P2_33 v.1 Ponitur in terris solium regale : Tonantem,
 2 ut super assideat, nobile coget ebur.
 3 Non simile huic operi, non par, dum fingitur, Auctor,
 4 "Haec artis, dixit, sit mihi summa meae."

IN ORTUM VIRGINIS AUGUSTISSIMAE.

P2_34 v.1 Lac niveum vincit, vincit candore pruinas
 2 nata Palaestinis alba columba plagis.
 3 Non oleae ramos pacisque insignia mundo,
 4 auctorem pacis proferet una sinu.

DE EODEM.

P2_35 v.1 Quos habeat famulos veniens Regina requiris ?
 2 Solis equos, Phoeben, astra, elementa, Notos.
 3 Et genus humanum, divumque examina, plus est :
 4 subditus huic etiam Conditor orbis erit.

DE EODEM AD D. ANNAM PARIENTEM.

P2_36 v.1 Anna, paris mundo miracula : totus in orbe
 2 perque tuos partus dives Olympus adest.
 3 Sola potes tantum donare et prodere mundo,
 4 quae subolem tantam parturiisse potes,
 5 Dices, sidereum cum videris ore nepotem :
 6 "Quae mihi par, natae quae pariendo meae ?"

DE ANNUNTIATIONE ANGELICA.

'MISSUS EST.' LUC 1.

P2_37 v.1 Magna movens animo, magno demittit Olympo
 2 aligerum magnus qui regit astra Pater.
 3 Magnus et a magnis caelestibus advolat ales
 4 nuntiaque a magno magna Tonante refert.
 5 Virginis in magnae descendit ab aethere sedem
 6 et stupet ad magnum Virginis ille decus.
 7 Exspectare aliquid fas est super omnia magnum :
 8 tot magnae peragunt cum nova coepta manus.
 9 Prome sonos, ales, nova nuntia prome : "Quid urges ?"
 10 Aligeris Verbum si rapit ista Deum ?"

ANGELUS GABRIEL.

P2_38 v.1 Numinis imperiis humana negotia tractas,
 2 aliger aera qui petis ima via.
 3 Longum iter emensus nostrum procurris in orbem :
 4 immensaeque sumus nos tibi causa viae.
 5 Faris ; ad affatus miracula mille sequuntur ;
 6 Virgo parit, partus non sine flore sui.
 7 Te duce, captivi niveo redimuntur ab Agno,
 8 sanguinis expensas, quas dabit ille, paras.
 9 Funestum imperium mors importuna tenebat,
 10 imperio mors est, te duce, pulsa suo.
 11 Debemus, verum est ; donum immortale mereris :
 12 pro meritis merces sed datur aequa tuis.
 13 Non magis exoptes : sit pro mercede superba
 14 mira quod augustae Virginis ora vides.

IN CIVITATEM NAZARETH

P2_39 v.1 Ante uno fuerant tantum mihi nomine flores,
 2 floribus e geminis nunc mihi nomen erit.
 3 Flos est bella Parens, flos est bellissimus Infans.
 4 Bella animis Genetrix, bellulus ore Puer.
 5 Cedite Paestani, pulcherrima nomina, flores ;
 6 plus mihi de gemino flore decoris adest.

AD VIRGINEM DESPONSATAM VIRO.

P2_40 v.1 De desponsata Verbum vult Virgine nasci
 2 ne Matrem foeda quis male labe notet.

3 Tam bene consuluit niveae qui Matris honori
4 maternos titulos praetulit ille suis.

CUI NOMEN ERAT JOSEPH.

P2_41 v.1 Virginis augustae thalamis dignate superbis,
2 Davidis antiquo stemmate, clare senex,
3 conjugis exsulata thalamis et dote triumphata :
4 tam caret haec simili quam caret illa pari.
5 Si Natum adspicias dotesque in conjuge, dices :
6 "Conjuge vel Nato par mihi nemo fuit.
7 Invidiam caelo facio ; si posset, Olympus
8 mutasset nostra se suaque astra domo.
9 Deque meo fiet, res mira, beatior ; aether
10 divitiis discet ditior esse meis."

DE DOMO DAVID.

P2_42 v.1 Occupat immensum ramis felicibus orbem
2 regia Davidico stipite nata domus.
3 Pro flore, heroas generoso e sanguine, reges
4 famososque gerit clara per arma duces.
5 Hos super assurgit, sceptro invidiosus avorum,
6 Josephus, titulis clarior ipse suis.
7 Non populos regio imperio, rexisse Tonantem
8 et servasse Deum gloria summa viro est.

ET NOMEN VIRGINIS MARIA.

P2_43 v.1 Quod non Amphion, quod non Rhodopeius Orpheus
2 praestitit, audito nomine, Virgo, facis.
3 Saxa nec Amphion, nec robora transtulit Orpheus,
4 nec tenuit lapsus praetereuntis aquae,
5 nominis ad sonitum trahitur polus et vagus orbis
6 et quotquot nigra sub Styge monstra latent.
7 Ne quid sit, Virgo, quod non traxisse feraris,
8 nominis ad sonitum vult Deus ipse trahi.

AD DULCISSIMUM VIRGINIS MARIAE NOMEN.

P2_44 v.1 O dignum gemma Gangetide nomen et auro,
2 delicias Mariae quod mihi dulce sapis,
3 alitis Assyrii quod vincis odoribus ignes
4 quaeque metit silvam divite dives Arabs.
5 Balsama quod vincis felicia, vincis amomum,
6 quidquid et Elysium spirat odoris Ager.
7 Quod sapis ambrosiam, blandi quod nectaris haustus,
8 delicias divum quod sapis, atque facis.
9 Maximus Oceanus fiat si felleus, omni
10 pro felle, audito nomine, mella dabit.

DE EODEM.

P2_45 v.1 Si steterint contra, quae castra gigantibus horrent,
 2 in ferrum Stygio cum duce monstra ruant :
 3 non alias acies nec propugnacula quaero
 4 aenea : Virgineum sat mihi nomen erit.
 5 Gorgone plus saeva, plus fulmine territat Orcum ;
 6 armatas acies, castra inimica fugat.
 7 Nil magis est tenerum, pietas cum blanda reposcit ;
 8 nil magis est durum cum ferus hostis adest.
 9 Virginis ingenium nomen sortitur ; in hostem
 10 dura fit : in natos Virgo, benigna parens.
 11 Quo tener affectus magis est, plus durat amantem :
 12 duritiam tenera de pietate facit.

DE EODEM

P2_46 v.1 Nomen, quod trahit allicitque caelum,
 2 nomen, quod trahit allicitque mundum
 3 dura vi sine noxioque ferro ;
 4 nomen, quod citharis sonant eburnis
 5 pictis agmina sacra laeta pennis.
 6 Nomen manibus inferis tremendum,
 7 quod pestes fugat allevatque morbos,
 8 sopit toxica saeva quod draconum :
 9 nomen quod beat Astra, ditat orbem
 10 donis, officiis, honore, gazis,
 11 scribi quod decet Indicis lapillis,
 12 quod Rubri Pelagi micante baca,
 13 non in marmoribus, gravi nec aere,
 14 arcanis hominum sed in medullis.
 15 Nomen nectare dulcius liquenti,
 16 in terras retulit quod ex Olympo
 17 pennis aliger aureis renidens,
 18 sacri nominis ipse par minister.
 19 Suprema est Triadi sacrae voluptas,
 20 vitae virgineum videtque primum
 21 inter caelicolas magisque amandum.
 22 Quam nomen Mariae, quid audit omnis
 23 mundus dulcius ? Aut quid audit aether ?
 24 Ut nil utilius recepit umquam
 25 sacra Virgine terra nil Olympus.

ET INGRESSUS ANGELUS AD EAM.

P2_47 v.1 Virginis augustae penetralia sacra minister
 2 dum videt, augustos procidit ante pedes.
 3 Quod facit hic unus, totus fecisset Olympus,
 4 nec satis obsequiis totus Olympus erat.
 5 Qui tamen obsequiis vestigia pronus adorat,
 6 ostendit quo sit Virgo colenda modo.

GRATIA PLENA.

P2_48 v.1 A patre Oceano nascuntur flumina, Virgo :

2 larga fluit manibus gratia nata tuis.
 3 Plena per augustos prorumpunt numina vultus
 4 perque oculos undant flumina perque genas.
 5 In te dives opum Deus inclinavit Olympum,
 6 esset ut ad natos copia larga tuos.
 7 Dives es, o genetrix, natum me gratia fecit :
 8 dum tu dives eris, non ego pauper ero.

TURBATA EST.

P2_49 v.1 Dicitur ad aspectu Virgo turbata virili,
 2 tanta verecunda cura pudoris erat.
 3 Aligeris assueta choris, desucta viriles
 4 cernere conspectus, casta columba timet.
 5 Aliger est, Virgo : mentita veste ministrat :
 6 non venit ut fallat : quid nova damna times ?
 7 Sed causam didici : succurris femina mundo ;
 8 femina non metuit prima, secunda times.

COGITABAT QUALIS ESSET ISTA SALUTATIO.

P2_50 v.1 Qualia non vidit potiora negotia mundus,
 2 Aliger et Virgo sacra latenter agunt.
 3 Abdita saeculorum tractant mysteria : Virgo
 4 differt assensus ingeniosa suos.
 5 Virgineo melius quo consulit illa pudori,
 6 hoc melius Matri consulit ipse pudor.
 7 Fidite, mortales ! lapsus reparabitur orbis,
 8 suspensum quando causa pudoris habet.

NE TIMEAS, MARIA.

P2_51 v.1 Deligeris caelo : quid, candida Virgo, tremiscis ?
 2 Dulcis, opes dulces quaerit amoris, Amor.
 3 Gratia degeneres nescit generosa timores,
 4 Numen substernit jam tibi : pone metus.
 5 Nil est quod timeas ; tutam timor hic facit : illa est
 6 quae timida haud timeat, sola pudicitia.

INVENISTI GRATIAM APUD DEUM.

P2_52 v.1 Excipis o quantum, Regina augusta ! refundes
 2 o quantum, terris de locuplete sinu !
 3 Prodigia caelestes tibi gratia fundit amores,
 4 prodiga delicias sidera amica suas.
 5 Instauratorem saeculis dabis : impulit oris
 6 gratia caelestes deseruisse choros,
 7 quae totum superis praedaris gratia Olympum,
 8 totum ut praederis, gratia praeda tua est.

ECCE CONCIPIES.

P2_53 v.1 Ter felix summum cui concepisse Tonantem

2 fas fuit et summum cui genuisse Deum !
 3 Quam nova conceptus forma est, quam nescia culpae,
 4 quam nova praegnantis gloria, quantus honor !
 5 Cura parentis abest, non sunt fastidia ; nullus
 6 est dolor haud gremium dulce fatigat onus.
 7 Non sine deliciis labuntur ab aethere dulces
 8 deliciae : hoc hospes deliciosus agit.
 9 Intrat, et ingressus vestigia nulla relinquit ;
 10 exit, et egressus integra claustra beat.
 11 Non est humanus, divinus at hospes habendus,
 12 qui venit absque aditu, qui redit absque via.

ET PARIES FILIUM.

P2_54 v.1 Numinis aeterni tibi pignora credit Olympus :
 2 nemo erit officio par tibi, nemo toro.
 3 Fas erit amplecti, fas dulcia figere labris
 4 oscula, virginei fas dare lactis opem.
 5 Stringere fasciolis fas membra tenerrima necnon
 6 Numen ad arbitrium ducere, Virgo, tuum.
 7 Aligeri infantem sub majestate tremiscant :
 8 olli arridebis blandior, ille tibi.
 9 Prole sacra exsulta, genetrix laetissima, quando
 10 jam tibi communis cum Patre natus erit.

VOCABIS NOMEN EJUS JESUM.

P2_55 v.1 Parturies salva de virginitate salutem,
 2 constet ut in salva Virgine nata salus.
 3 Nomina testantur, de nomine facta salutis,
 4 quam gravis in Puero cura salutis erit.
 5 Nomine tam sacro se toti oppignerat orbi
 6 et faciet certam sanguinis imbre fidem.

DIXIT AUTEM MARIA AD ANGELUM.

P2_56 v.1 Eia, age, responde ! reparandus spectat Olympus :
 2 foeta atavis sperant Tartara, sperat humus.
 3 Blanda miser sperat solacia, lumina caecus,
 4 captivus pretium, vincla soluta reus.
 5 O quantum poteris verbo fecisse vel uno !
 6 Pendet ab arbitrio vitaeque morsque tuo.
 7 Est non visa prius tam rara potentia : Verbo
 8 de Styge damnatos solvere posse reos.

ECCE ANCILLA DOMINI.

P2_57 v.1 Nobile servitium superis quae servit Olympi
 2 imperio digna est sceptraque digna gerit.
 3 Induit aeternum mortali corpore Verbum,
 4 est thronus aeterni Numinis ipse sinus.
 5 Non plus majestas potis est crevisse, minores
 6 servitio titulos sed putat esse suos.
 7 Dum sibi forte datum minuit, duplicatur, et inde

8 (non aliter posset crescere) crevit honor.

FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM.

P2_58 v.1 Arsit ubi ad formae miracula Rector Olympi,
 2 Verbum ait : "Haec fiat si mihi forma, placet.
 3 Huic similis fiam, cum verba simillima fient :
 4 Verbum, quo Verbum sim caro, 'Fiat' erit."
 5 Verbum ergo exspectat Verbum verbumque vicissim
 6 Numinis et sacrae Virginis ore fluit.
 7 Prodigium simile est Virgo Numenque : loquuntur
 8 vel pariter, sacro vel simul ore silent.

DE SALUTATIONE AD ELIZABETH. LUC I.

P2_59 v.1 Virgo quid accelerat montesque perambulat altos
 2 inque tuos properat, magna Isabella, lares ?
 3 Non incerta putat responsa nec alitis Alti
 4 nuntia : nutanti non labat illa fide.
 5 Praebeat exemplum saeculis ut Virgo futuris,
 6 obsequiis famulas it subitura vices.
 7 Nutabunda forent fastigia tanta superbe,
 8 ni starent humili tam bene fixa gradu.
 9 Virgo ministeriis tendit properanter ut imis
 10 serviat agnatae foeta puella suae.
 11 Numine foeta, volat ; levis est sub Numine cursus.
 12 Pondera servitiis sunt prope nulla piis.
 13 Sedula servitiis, Nati volat aemula Nato
 14 nec poterat melius Virgo placere suo.

AD ZACHARIAM SACERDOTE.

P2_60 v.1 Dum tua Numen adit penetralia, magne sacerdos,
 2 dicere jam templum fit domus ista, licet.
 3 Templum est, Numen adest, mactetur victima divis :
 4 corde, senex, melior non erit ulla tuo.
 5 Si tibi suffitus placet addere, thura repone
 6 ter sacra de lacrimis quae cecidere tuis.

AD JOANNEM IN UTERO EXSULTANTEM.

P2_61 v.1 Saltibus eloquitur, dum non licet ore profari
 2 infans, cui nomen "gratia rara" dedit :
 3 "Lenta quid exspecto nascendi tempora ? Princeps
 4 ille venit, metas quo duce tempus habet.
 5 Vincula quid captum, quid claustra obscura morantur ?
 6 Est, mea qui possit solvere vincla, Puer.
 7 Praecurram, accelerans totum inclamabo per orbem :
 8 "Crimina qui mundi diluit Agnus adest."
 9 Advenit en Verbum : Verbum vulgare necesse est ;
 10 non bene jam Verbo vox veniente tacet.
 11 Si vis vocem adimat, pro voce sonantior omni
 12 qui latet in tenero pectore sanguis eat."

DE EODEM.

P2_62 v.1 Artubus exiguis capitur vix aureus infans,
 2 jam Majestatis lumina sacra rapit.
 3 Pervenit ad Regem, non dum pervenit ad ortus ;
 4 non dum membra rapit, jam rapit arma puer.
 5 Nescit adhuc vagire, gravi jamque intonat ore ;
 6 clausus adhuc terras non sapit, astra sapit.
 7 Ante aciem petiit quam lucem adspexerit, ante
 8 quam sua cognovit praemia victor habet.
 9 Interrupta brevis compensat tempora vitae,
 10 longius obsequiis ut breve tempus eat.

JOANNES IN UTERO AD INFANTEM JESUM.

P2_63 v.1 Pectus in hoc infans, Ganges velut alter, inundant
 2 deliciae, vultu dum furor ipse tuo.
 3 Cum subit illa tuae maestissima mortis imago,
 4 tunc mihi (nec morior !) funera mille fero.
 5 Laetitia exulto : geminos dant lumina fontes ;
 6 igne calent venae, frigora pectus habet.
 7 Hos geminos soles mors invida claudet ? Et aurum
 8 verticis et roseas has feret oris opes ?
 9 Hoc rapiet terris, quod terrae inclinat Olympum ?
 10 Hoc rapiet, terram quod facit esse polum ?
 11 Vive, Puer. Pro te moriar, perque omnia dura
 12 perque omnes mortes laetus ovansque ferar.
 13 Sat tibi pro mundo vel funera velle subire,
 14 sat mihi pro vita funera ferre tua.
 15 Si mihi des mortem, vitam dabis ; ipse ferendo,
 16 tot mihi das mortes, quot mihi, Christe, negas.

AD D. JOANNEM IN UTERO MATRIS.

P2_64 v.1 Sic, age ! fit forti caelum expugnabile, primus
 2 frange, age, caelestes vim faciendo, fores !
 3 Lucifer es : properat prorumpere clarus ab ortu
 4 Cynthus, i, solis Lucifer ante rotas.
 5 En bellator adest, qui mundum expugnat et Orcum :
 6 ad fera bella graves, i, tuba, funde sonos !
 7 Praeco es : justus adest terrarum in crimina judex ;
 8 officiis praesta, jam praeundo, vices.
 9 Et quia de summo Deus advenit aethere, summum
 10 accelera volitans aliger ante Deum.

POEMATUM LIBER III

LIBER TERTIUS DE CHRISTO NATO. DE NATALI CHRISTI DIE.

(1499 vers)

EXIIT EDICTUM A CAESARE AUGUSTO. LUC 2

P3_1 v.1 Caesar Iulaeos inter celeberrime patres,
 2 Laomedonteis nomine major avis
 3 quod Chalybum vinclis foribus quod claudis aennis
 4 limina quae geminus Martia Janus habet,
 5 pace quod immensa trahis in nova foedera mundum,
 6 non tibi, sed Regi pax famulata suo est.
 7 Non tibi sit census, tibi nec describitur orbis.
 8 Alterius census, cujus et orbis erit.
 9 Cui Capitolinis in sedibus exstruis aras,
 10 huic nova, descriptis gentibus, aera paras.
 11 Signa quod in terris, quod in aethere fausta refulgent,
 12 non tibi, sed Regi sunt data signa suo.
 13 Non tua, te propter sunt prospera saecula, Caesar :
 14 prospera ab adventu sunt ducis illa sui.
 15 Regi adventanti properans applaudere mundus,
 16 motibus insuetis omnia laeta facit.

UT DESCRIBERETUR UNIVERSUS ORBIS.

P3_2 v.1 Imperium teneas, Caesar, licet orbis, Olympi
 2 esse sub imperio quis tua regna neget ?
 3 Non tibi tam census quam fit, Romane, Tonanti ;
 4 Caesar, id exsequeris quod Deus ipse jubet.
 5 Quantus hic est Infans superas venturus in auras,
 6 pro famulo summus cui modo Caesar adest !

HAEC DESCRIPTIO PRIMUM FACTA EST A PRAESIDE SYRIAE CYRINO.

P3_3 v.1 Caesaris exactor Syrias, Cyrine, per oras,
 2 plus quam scire potes, nobile munus habes.
 3 Nomina dum scribis regalia dumque tributum
 4 exigis a sacra Virgine, magna refers.
 5 Reddita relliquia sunt, crede, numismata divum,
 6 per sacras postquam praeteriere manus.
 7 Josephi quod nomen habet, quod Virginis, albo
 8 addita quanta tuo est gloria, quantus honor !
 9 I, dic Augusto, Cyrine : "Apporto duorum
 10 quae superant census bina tributa tuos.
 11 Nomina bina fero quae, si cognoveris, ingens
 12 ut tuus est mundus, sic polus esse potest."

ASCENDIT AUTEM JOSEPH CUM MARIA DESPONSATA SIBI UXORE.

P3_4 v.1 Quam bene conveniunt et in una sede morantur
 2 Virgo parens niveo pectore, virgo senex !
 3 Talia connubia et tales celebrant hymenaeos
 4 aligerum, similes virginitate, chori.
 5 Connubio tali, nivei incrementa pudoris
 6 alter ab alterius virginitate capit.
 7 Prodigia hac crescunt de virginitate : tribusque
 8 una est prodigiis prodigiosa domus.
 9 Conjugii servatur honor cum flore pudoris ;
 10 virginitas feta est, nascitur inde Deus.
 11 Non majora volo miracula ; nulla dabuntur
 12 aequa tribus ; Trias haec (ni foret una) foret.

IMPLETI SUNT DIES UT PARERET.

P3_5 v.1 Virginei partus feliciter hora propinquat,
 2 clarior illustri non erit ulla face.
 3 Mitte, Oriens, gemmas ; gemmis signabimus horam.
 4 Gemmea gemmata nota sit hora nota.
 5 Non plus ulla tulit nec plus hora ulla videbit.
 6 Accepit tantum nulla nec ulla feret.
 7 Jam prope de caelo felicia sidera rorant.
 8 Nubibus e superis Justus, ut imber, adest.
 9 Sese aperit tellus Servatorumque profundit
 10 cum, duce Justitia, Pax opulenta venit.
 11 Dicere jure potest haec hora : "Beatior aetas
 12 aurea momentis incipit ire meis.
 13 Felices fuerint aliae feliciter horae ;
 14 quae tulit Infantem, quid feret hora, Deum ?"

ET PEPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM.

P3_6 v.1 Clausa verecundos qualis rosa fundit odores,
 2 gemmea formosos picta rubore sinus,
 3 qualis odoratos gestat coma virgea flores,
 4 cum nova de gravido palmite gemma tumet.
 5 Talis virgineo, Virgo rosa gemmea, partu,
 6 pignora, caelesti cum Patre, prima tulit.
 7 Talis adest partus qualis novus arbore fructus,
 8 tempore decoctum quem mora longa facit.
 9 Unicus est Patri, Matri unicus, unica Patris,
 10 unica fit Matris cura, fit unus amor.
 11 Mater alit dulci, dulci Pater ubere. Matri
 12 quae fluit et Patri lactea vena fluit.
 13 Unicus est Infans. Post lactea munera Matris,
 14 ingenium lactis quod bibit, unus habet.

PANNIS EUM INVOLVIT.

P3_7 v.1 Fasciolis religat pia membra tenerrima Mater,
 2 sed magis affectu stringit amica suo.
 3 Fasciolis quantum modicis involvitur ! Intra
 4 proh, bona tam modicum quanta volumen habet !

5 Fasciculum in modicum moles immensa coacta est
 6 ne gravet humanas sarcina vasta manus.
 7 Eia age ! Fasciculum cupidae furare Parenti :
 8 non gravat hoc sacrum, pondera tollit, onus.

RECLINAVIT EUM IN PRAESEPIO.

P3_8 v.1 Virgo, locum Puero ne quaere per oppida : factas
 2 divite materia respuit ille domos.
 3 I, quaere Infanti lapidosa cubilia, ventis
 4 pervia, frigoribus tristia, amica feris.
 5 Frigida sub saxo sunt tecta aptissima Nato,
 6 dum jacet e tepido flammea tela sinu.
 7 Nascitur in poenas, poenas qui diligit : ignes
 8 frigoraque ad poenas ingeniosus habet.
 9 Tantum inclinavit qui se, cur Virgo reclinas ?
 10 An Puer inferior, quam venit, esse potest ?

VIRGO AD INFANTEM NATUM.

P3_9 v.1 Cara Parens Nati dum membra recentia cernit
 2 intremere, et nudo nuda jacere solo,
 3 sic ait illacrimans : "O dura exordia vitae !
 4 Tam cito te lacrimae, tam cito dura juvant !
 5 Nec mihi lectus adest, nec vellera blanda, nec ostrum,
 6 nec majestatem quae decet aula tuam.
 7 Nostra, Puer, fieri si mollia vellera possent
 8 viscera, visceribus mox tegerere meis.
 9 Pauper opum tam sum, teneri quam dives amoris,
 10 cetera cum desint, dives abundat Amor.
 11 Ignea flamma deest, qua frigida texta calescant,
 12 sed recalent magno pectoris igne mei,
 13 si tegmen spectes vile est, si pectora Matris,
 14 sunt de visceribus tegmina ducta meis.

INFANS NATUS AD MATREM.

P3_10 v.1 Visa loqui ad Matrem sic muta infantia Verbi,
 2 lingua tacet, nullo murmure clamat amor.
 3 Nec me, nec genetrix te fletu interfice : sola
 4 exilii relevas quae mala dura mei.
 5 Quo sunt dura magis tenera primordia vitae,
 6 hoc plus blanda hominis fors pereuntis erit.
 7 Nescit amor patiens molimina tarda : ferendi
 8 prae desideriiis, aspera blanda facit.
 9 Tam cito posse pati summa est mihi , crede, voluptas :
 10 quique adimit poenas, auxerit ille meas.
 11 Ergo mihi haec fuerint gratissima tegmina ; Matris
 12 corda ego suscipio blanda, rependo meum.

PUER JESUS NATUS AD PATREM.

P3_11 v.1 Sic Patrem affari visus pulcherrimus Infans,
 2 formosas primo dum rigat imbre genas.

3 Accipe primitias Nati plorantis ab alto,
 4 de lacrymis reddit quas tibi prima dies.
 5 Deme homini poenas, si vis mihi demere fletus :
 6 hoc rogat hoc stabulum, duraque fulcra tori.
 7 Dura hominis poena, non me mea poena fatigat,
 8 pro quo delicia sunt mihi, dura pati.
 9 Sum puer ; ut patiar, robusta mole Gigantem
 10 me meus, invicto pectore, fecit amor.

JOSEPHUS AD INFANTEM.

P3_12 v.1 Solvitur in lacrymas oculis dum flentibus Infans,
 2 sic ait, effuso non sine rore, senex :
 3 Nate Oriens effunde novas per lumina gemmas ;
 4 gemmarum ex oculis ros sacer instar habet.
 5 Funde Oriens gemmas, totus ditabitur orbis,
 6 de lacrymis dives si velit esse tuis.
 7 Ora insperge senis, canosque insperge seniles
 8 sparge senis cupidos rore cadente sinus.
 9 Has ego relliquias tenero de corde fluentes,
 10 has ego delicias dulciter ore bibam.
 11 Praeferor imperiis, ipsis quoque praeferor astris :
 12 nam de fonte bibo, quo Deus ipse bibit.

AD PUERI NATALEM.

P3_13 v.1 Unus habet mirus miracula plurima partus,
 2 exigit ut Nati gloria, Matris honor.
 3 Virgo parit, salvo sed virginitatis honore :
 4 cum careat damnis, commoda matris habet.
 5 Nascitur aeternus, finisque, et originis expers,
 6 cui modo principium est, in cruce finis erit.
 7 Aligeri, Reges, pecudes, pecudumque magistri
 8 antra petunt ; mirum quis neget obsequium ?
 9 Solus cum toto, Puer hic luctabitur orbe,
 10 et feriet molli pectora dura manu.
 11 Vulnereque affectus molli trahet ; hasta coruscans
 12 lacryma : vagitus, pro face, blandus erit.
 13 Obsequiis cedent, qui non cessere flagellis :
 14 quos timor haud potuit flectere, flectet amor.

AD EUNDEM.

P3_14 v.1 Vidit ut Infantem Clementia rupis in atro,
 2 magnifico tales fudit ab ore sonos.
 3 Diluvio miscens Astraea immerserit orbem,
 4 cum caro flagitiis tabuit aegra suis.
 5 Finxerit immensum divina potentia mundum,
 6 finxerit Aeoliis regna tremenda Notis.
 7 Legibus aethereos Sapientia rexerit axes,
 8 certa per instabiles fixerit astra vices.
 9 Muneribus felix Bonitas cumulaverit orbem,
 10 muneraque undanti fuderit ampla sinu.
 11 Cuncta mihi cedant rerum miracula ; plus est
 12 in stabulo nudum me posuisse Deum.

DE EODEM.

P3_15 v.1 Expugnator adest, caelesti culmine mundi,
 2 nullaque sanguinei fulmina Martis habet.
 3 Nulla per ardentis fumant incendia montes,
 4 territat attonitos nec tuba rauca globos.
 5 Nec muri in faciem refugum sese erigit aequor,
 6 nec trepidum angustas inter it agmen aquas.
 7 Nec mare purpureum Pharias, luctantibus undis,
 8 obruit insano cum Pharaone, rotas.
 9 Nec super infandas quatiuntur fulmina gentes,
 10 nec vorat abreptos lurida flamma reos.
 11 Bella tibi est facies, niveus color, aurea cervix :
 12 expugnare orbem, nempe ea forma potest.

DE EODEM.

P3_16 v.1 Numinis o fracti robusta infantia pugnis !
 2 O sacra plus fortis debilitate manus !
 3 Natura o geminae ter felix copula ! Numquam
 4 visa, nec extrema dissocianda nece !
 5 O lacrimae e gemino falientes lumine ! gemmae,
 6 quae plus igne calent, plus adamante rigent !
 7 Laetior haud umquam regnorum apparuit haeres,
 8 quam cum sub gelido fornice natus homo est.
 9 Quas Puer in cunis, oculo rorante, profundit
 10 laetitia lacrimas parturiente, dedit.
 11 Ingens laetitiae cumulus, sub pectore fontes
 12 protulit, in liquidas lumina solvit aquas.
 13 Rex homo factus, habet tota quod mente petivit :
 14 inter delicias nunc agit ille suas.

DE EODEM.

P3_17 v.1 Si Matrem aspicias, Virgo est : si pignora, Numen ;
 2 infantem tenerum si tueare, gigas.
 3 Si pecus, attonitum tangit reverentia, cunas
 4 si Pueri, ante sacri procubere cbori.
 5 Si tecta, immensum spelunca receptat Olympum,
 6 si pannos, superum quem tegit ala, tegunt.
 7 Qui tonat, illacrimat, praestat qui gaudia, plorat :
 8 qui Verbum est reticet, qui calet igne, tremit.
 9 Dissimulata latet majestas ; dicere fas est ;
 10 qui bene dissimulat grandia, monstra facit.

DE PUERO JESU NATO.

P3_18 v.1 Provocat ad veniam facilis clementia mundum,
 2 dulce supercilium, gratia dulcis, amor.
 3 Majoris veniae, blandam pro pignore formam
 4 dat Puer ; indiciis proditur illa suis.
 5 Perque genas scintillat amor perque ora manusque,
 6 perque comas fulvi verticis ignis abit.

7 Liberiora ruent de corde incendia, ferro
8 cum totum expandet rupta fenestra latus.

DE VIRGINE ET PUERO IN PRAESEPIO.

P3_19 v.1 Rupe sub exesa divina puerpera lactat
2 de caelis tenero pignora lapsa sinu.
3 Non huic pulchra domus testudine fulget eburna
4 nec tegit augustos purpura picta toros.
5 Nec comitum tectis discursat idoneus ordo,
6 strata nec aulaeis nobilis horret humus.
7 Nec Regina auro nec gemma ardente superbit :
8 nuda habet in gremio pignora clara suo.
9 Dum gerit at Natum non ornamenta requiras ;
10 ornata est Nato sat sacra Virgo suo.

DE LACRIMIS PUERI JESU.

P3_20 v.1 Inclite rex, cithara sceptroque insignis et armis,
2 affectas patrias qui sitibundus aquas,
3 en gemini fontes per roscida lumina rorant :
4 non similes Bethlem patria vidit aquas.
5 Non eat armatus : celera, rex ipse, liquorem
6 collige, de roseis qui fluit imbre genis.
7 Mox ubi combiberint penitus praecordia, dices :
8 "In terris caelum largius ore bibi !"

DE EODEM.

P3_21 v.1 Fallor, an accensas spirant praecordia flammis ?
2 Fallor, an ardentes flamma ministrat aquas ?
3 Purior electro fulvoque insignior auro,
4 quid sibi vult roseis quae fluit unda genis ?
5 Corpora ne rapidae solvant infantia flammae,
6 pectoris ardentes temperat unda faces.

DE LACRIMIS MATRIS ET PUERI.

P3_22 v.1 Undat amor Matris lacrimis manantibus ; undant
2 infantis gravidae, rore fluente genae.
3 Pro lacrimis lacrimas pietas lacrimosa reposcit,
4 pro lacrimis lacrimae dantur utrimque piae.
5 Certatur lacrimis, certamen dulce, vicissim
6 dum corda alterno flumine tacta dolent.
7 Dum sine voce Parens, loquitur sine vocibus Infans :
8 quaeque fluunt lacrimae pondera vocis habent.
9 Dulciter afficitur Matris ploratibus Infans,
10 dulciter Infantis fletibus illa dolet.
11 Has ego delicias lacrimas reor ; hos ego fletus
12 proxima crediderim gaudia caelicolis.

DE EISDEM.

P3_23 v.1 Lumina ne Matris lacrimis laedantur abortis,
 2 siste, Puer, gravidis orta fluenta genis.
 3 Ille mihi ; Floro, Genetrix, ut roscida ploret,
 4 lacrymulis, lacrymas addat ut illa meis :
 5 cum Genetrix lacrymat, cum mollia lumina rorant,
 6 cor mihi virgineis molle liquescit aquis.
 7 Non mihi deliciae similes, nec balsama tam sunt
 8 grata, suo quam cum me lavit imbre Parens.

IN SANCTISSIMUM JOSEPHUM.

P3_24 v.1 Primitias dulces sortite Infantis Iesu,
 2 non sine deliciis, sed sine more, senex.
 3 Dum sacra nascentis spectas cunabula Regis,
 4 gemmea dum spectas pignora laetus ades,
 5 laetus ades ; laetis Infans arrisit ocellis,
 6 laetior adspectu scilicet ille tuo.
 7 Blanditusque tibi, dulci Cenetrice relictata,
 8 in gremium laetus labitur ille tuum,
 9 saepe supercilio tecum est motante locutus,
 10 deque tuo visus fingere verba sinu.
 11 Cui pro pulvino fuit olim pectus Iesu
 12 augusta in Cena, dicere jure potes ;
 13 "Utere sorte tua : nostra est sat dulcis, Amoris
 14 sunt mihi primitiae, sunt tibi reliquiae."

IN ANTRUM UBI PUER NATUS.

P3_25 v.1 Stat pecus attonitum, mutae siluere cavernae
 2 dum Deus in feno paupere pauper adest.
 3 Virgo muta silet, muto cum conjuge ; pastor
 4 rustica dat Puero munera, lingua tacet.
 5 Dona ferens Puero regalia mutus adorat,
 6 dives ab Eoo qui venit orbe Magus.
 7 Descendit totum sacra ad cunabula caelum
 8 et, tacita Infantis dum videt ora, silet.
 9 Denique nascentis muta est infantia Verbi,
 10 quod, mutum nascens, omnia muta facit.
 11 Amittunt omnes sacra ad praesepia linguas,
 12 tot taciti causas antra stuporis habent,
 13 Ni stupor, amissa stupefactus voce, taceret,
 14 dixisset : "Nomen tecta stuporis habent."

IN BOVEM ET ASINUM.

P3_26 v.1 Naribus Infantem pecudes mulcentibus afflant
 2 officiumque pium bos et asellus agunt,
 3 obsequiis pecudes natum novere Tonantem,
 4 qua possunt pronae cui famulantur ope.
 5 Si non cognoscit Puerum Judaeus, asello
 6 tardior est stolido, tardior ille bove.

DE EISDEM

P3_27 v.1 Infantem tenerum flatu dum mulcet asellus,
 2 non sapit ingenio, sed sapit officio.
 3 Infantem tenerum dum bos submissus adorat,
 4 non sapit ingenio, sed sapit obsequio.
 5 Sidera si possent pecudes aeterna mereri,
 6 sideribus dignus bos et asellus erat.

IN BOVEM.

P3_28 v.1 Nunc tua, bos, cervix posito requiescat aratro,
 2 ruraque findendi pingua cesset opus.
 3 Qui satiet caelum Panis, qui compleat orbem,
 4 sat tener in pannis editus ecce jacet.

IN EUMDEM

P3_29 v.1 Ore Dei refoves dum membra tenerrima Nati,
 2 versus ad aethereos, bos, age fare polos.
 3 Dulce ministerium tenero dum praesto Tonanti,
 4 invideo superos non tibi, Taure, globos.
 5 Plus mihi terra placet quam regna nitentis Olympi ;
 6 indiget obsequiis hic polus ipse meis."

IN ASINUM.

P3_30 v.1 Impia nascentem nescit Judaea Tonantem
 2 et Puero cunas patria saeva negat.
 3 Ante Dei cunas pronus procumbit asellus.
 4 Credite : Judaeo plus sapit ille suo.

IN BETHLEM.

P3_31 v.1 Gloria cunarum, Bethle famosa, tuarum
 2 urbibus antetulit teque, tuosque lares.
 3 Mons Solymus tantum certat tibi, prodigus agnus
 4 vitam ubi prodegit, sustinuitque necem.
 5 Ille die in medio vidit tenebrescere noctem,
 6 nocte sed in media fas tibi nosse diem.
 7 Ipsa vides vitam nasci de Virgine, vitam
 8 ille videt, viva cum Genitrice, mori.
 9 Te super inspectas totum descendere caelum :
 10 illum carnificum turba inimica premit.
 11 Das vitam mundo, vitam mons sustulit, orbi
 12 de nece dum pretium donat habere suum.
 13 Dum nece mons Agni claret, tu nobilis ortu,
 14 laetitiae tu plus, ille doloris habet.

DE ADORATIONE PASTORUM.

NOLITE TIMERE : ECCE ENIM EUANGELIZO VOBIS GAUDIUM MAGNUM. LUC.2.

P3_32 v.1 Ad stabulum celeres pecudum properate magistri,
 2 detineat celeres et mora nulla gradus.
 3 Facta parens Virgo spectacula dulcia praebet,
 4 lacrymulis prabet grata theatra Puer.
 5 "Prodigium est Genitrix, quae parturit integra Virgo :
 6 prodigium est majus, qui colit antra Puer.
 7 Currite, Pastores, Orientem invisite natum,
 8 finitimus vestrae qui modo gemmat humo.
 9 Dat modo flens baccas, dabit ast in morte pyropos,
 10 purpurea moriens cum nece tinctus erit.

DE EODEM.

P3_33 v.1 Lux nova monstrat iter, Pastores, currite in antrum,
 2 dives divitias queis beet, intus habet.
 3 Ite implete sinus, et flammea pectora : dives
 4 tantum habet hoc, quantum dextera nulla rapit.
 5 Est minus in caelo, quam quod cunabula celant.
 6 Est plus in stabulo, quam quod Olympus habet.

HOC VOBIS SIGNUM : INVENIETIS INFANTEM PANNIS INVOLUTUM,
 POSITUM IN PRAESEPIO.

P3_34 v.1 Non sine prodigiis Regem incunabula signant,
 2 signaque mille Puer prodigiosus habet.
 3 Non sine prodigio fit Verbum Numinis Infans
 4 et tener infanti lac bibit ore puer.
 5 Non sine prodigio pannis compressa laborat
 6 moles, immenso nescia stare loco.
 7 Non sine prodigio positum in praesepibus altis
 8 Numen adest, frigus dum bovis ore fugat.
 9 Te nisi signa movent tam prodigiosa puelli,
 10 majus prodigium, quam facit ille, facis.

TRANSEAMUS USQUE AD BETHLEM.

P3_35 v.1 Transite o nati famosa ad moenia Regis,
 2 cura quibus laeto pascere rure greges.
 3 Transitus hic summi miracula monstrat amoris,
 4 transitus hic, vili sub lare, monstrat opes.
 5 Transitus hic mistis monstrat nova gaudia Poenis,
 6 transitus hic mediis, fert bona summa, malis.
 7 Transite, ardentes frigere videbitis ignes,
 8 atque ardere novas, queis Puer undat, aquas.
 9 Transite, admoneo : redivo veto ; lumina bello
 10 felices tardat si Puer ore morae.

ET VENERUNT FESTINANTES.

P3_36 v.1 Aligerum quos laeta manus clamore fatigat,
 2 pastorum tardos non sinit esse pedes.
 3 Festinare pedes certant : properantior antrum
 4 ingreditur, studio praetereunte fides.
 5 Ipse amor, ut possent pecudum celerare magistri
 6 remigia e pennis addidit apta suis.
 7 Certatum est numquam tanto luctamine, cursu
 8 numquam certandi tam bona causa fuit.
 9 Infante invento, Pastores dicite ; numquam
 10 tam bona, post cursum, meta reperta viae est.

ET INVENERUNT MARIAM.

P3_37 v.1 Inventa est oculis Virgo rorantibus, instar
 2 aurorae, quando gemmea rore venit.
 3 Pastorum obstupere animi, et vox faucibus haesit ;
 4 tantum aperit Numen frontis, et oris honor.
 5 Illius ad vultus visus tenebrescere Phoebus,
 6 sidera, lunares cum duce noctis equi :
 7 lumina gemmarum pallescere ; perdere formam
 8 aurum, ebur, argentum, purpura, ruris opes.
 9 Quilibet admirans sacrae miracula forma,
 10 talia, sub tacito pectore, dicta dedit.
 11 Aut haec est magni Genitrix augusta Tonantis
 12 femina : vel genitrix nulla Tonantis erit.

ET JOSEPH, ET INFANTEM.

P3_38 v.1 Lecte ministeriis caelestibus, addite Matri,
 2 et comes Infanti, deliciose senex.
 3 Quam te, Magne Pater, vicina incendia torrent !
 4 ureris ardenti septus utrimque face.
 5 Ardeat Assyrios Phoenix sacer inter odores,
 6 magne senex, flamma sic potiore cales.
 7 Ardeat aethereo felix Seraphinus in igne :
 8 illius est potior non sacra flamma, tuis
 9 aequaris superis, superosque excedis ; Amore,
 10 prole, ministeriis, conjuge, deliciis.

ET INFANTEM.

P3_39 v.1 Perditus anne tacet paleas Puer inter, et umbras,
 2 quem laeta inventum rustica turba rapit ?
 3 In quo dissimiles varie lusere colores,
 4 lilia cum violis, cumque rubore nives.
 5 Cumque auro argentum : gemmis cum grandibus aurum,
 6 Cum Tyrio niveum murice lusit ebur.
 7 Inspersisse reor Charites per membra lepores,
 8 confusum florum ver super ora decus.
 9 Talis hic est Infans, qualem nova gratia pinxit :
 10 Virgo parens ditat, dextra opulenta beat.
 11 Quid sibi vult forma, formaeque paratibus ? Optat
 12 et praeda, et praedo pectoris esse tui.

COGNOVERUNT DE VERBO.

P3_40 v.1 Rustica progenies, semper dilecta Tonanti,
 2 cui comes est cana simplicitate pudor.
 3 Gaudia de caelo tu prima beatior audis :
 4 prima homini in terris Numina mixta vides.
 5 Thesauros abscondat amor licet abditus, Infans
 6 mille aperit flores, frons tibi mille nives.
 7 Ora ebur, et roseos referunt tibi candida flores,
 8 labia purpureas deliciosa rosas.
 9 Deliciosus habet qui talia pabula, dulci
 10 non procul a caeli nectare, Pastor abest.

MUNUSCULA PASTORUM. PASTOR HYLAS AD PUERUM.

P3_41 v.1 Pulcher Hylas, Pueroque puer dilectus Iesu
 2 cum sua dona daret, talia dicta dedit :
 3 "Cor mihi das, Infans : tibi do praecordia ; dulces
 4 Helle Puer lacrymas das mihi, sume meas ;
 5 agnus es : en nivei trado tibi velleris agnum,
 6 lacteus es, nivei munera lactis habe.
 7 Proque oculis oculos, pro pectore pectora reddo,
 8 pro manibusque manus, pro pedibusque pedes.
 9 Nudus es, et pauper : fiam pro paupere pauper :
 10 nasceris e pura Virgine, purus ero.
 11 Te mihi das totum : totum me in munus habeto ;
 12 plura cupis ? Non sunt : da mihi plura, dabo.

IOLAS AD PUERUM.

P3_42 v.1 Vidit ubi Infantem sub fornice pastor Iolas
 2 ubera lambentem lactea Matris, ait :
 3 "Ite greges nivei, nivei gregis ite magistri ;
 4 hic maneo : ad caulas non licet ire meas.
 5 Me tenet aspectu, et facie pulcherrimus Infans,
 6 cujus labra rosae, lilia pectus habent.
 7 Vincula de lacrymis retinent mea pectora : blandae
 8 quoque magis lacrymae, vincula dura magis.
 9 Rumpere vincla nefas : nivei gregis ite magistri
 10 me sine, quem captum dulcia vincla tenent.
 11 Hic obiisse placet : mihi sit spelunca sepulchrum ;
 12 atque hoc, in duro fornice, carmen erit.
 13 Conditus hic vivit pecudum servator Iolas,
 14 cui libuit, nata est hic ubi vita, mori."

DAMAETAS AD PUERUM.

P3_43 v.1 Laetus Damaetas volucres de monte ferebat :
 2 rostra rubent rubro murice, crura, pedes.
 3 Cum daret haec Pueri : "Puer o bellissime, dixit,
 4 dono tibi insidiis munera capta meis.
 5 Pro perdice, Puer, puerum servare memento,

6 ne tibi perdices qui fero dispeream.
 7 Si placet hoc munus superest mihi prompta voluntas :
 8 est mihi, quae similes dextera captet aves.
 9 Non aliis, Infans, volucrum tibi munera servo :
 10 perdices perdo, non tibi dando meas."

MENALCAS AD PUERUM.

P3_44 v.1 "Uvidus hiberna, dixit, de glande Menalcas ;
 2 accipe, pro grandi munere, corda Puer,
 3 factaque de tereti coclearia suscipe buxo ;
 4 utile sorbendis pultibus istud opus.
 5 Accipe capreolo, captos sub rupe gemellos :
 6 inque his ipse oculos do tibi, crede, meos.
 7 Plus dare debueram : rerum mihi copia deficit :
 8 plura, Puer, fuerint cum mihi, plura dabo."

MOPSUS AD PUERUM.

P3_45 v.1 Mopsus, arundineo solitus mulcere capellas
 2 carmine gramineos sic ait ante toros :
 3 "Accipe pelliculas, Infans, queis fiet amictus :
 4 nam, nisi me fallit mens mea, pastor eris.
 5 Te melius, nullus servabit ovilia pastor,
 6 te melius, nullus per juga ducet oves :
 7 ipse sinu teneros gestabis dulciter agnos,
 8 ipse humeris pecudum dulce subibis onus.
 9 Pro grege sudabis, sed pro sudore, cruores
 10 inficient vultus inficientque sinus.
 11 Pocula defuerint pecori cum vitrea, dulces
 12 perque manus fundes flumina perque pedes,
 13 Pastoris nova forma Boni, nova forma Benigni,
 14 est cui cara magis quam sua vita gregis.
 15 Vim feret a monstris, quam non Puer ipse tulisset,
 16 ni prius inferret vim violentus amor."

ALEXIS AD PUERUM.

P3_46 v.1 "Belle Puer, maneo, certum est," dicebat Alexis,
 2 "paene catenatum me tua forma tenet,
 3 laeta velut varios libant examina flores,
 4 nectaris Hyblaei cum fabricantur opus ;
 5 quidquid adest pulchrum, bellum, admirabile carpsit
 6 ut tua formaret corpora, dulcis amor.
 7 Aurum, ebur, argentum, gemmas amor ipse recoxit
 8 igne suo, flores, lilia, cana, rosas.
 9 Vilescent animo jam sidera, Cynthia, Titan :
 10 hanc praeter frontem, frons mihi nulla placet."

AMYNTAS AD PUERUM.

P3_47 v.1 Ante sacras cunas, laetus dicebat Amyntas,
 2 cum daret Infanti, cum prece, ruris opes,
 3 "Accipe de tenero, tremebunda coagula, lacte :

4 plus tener es, fateor, quam mea dona, Puer.
 5 Accipe candentes niveo plus lacte columbas :
 6 plus tibi candenti gratia fronte nitet.
 7 Dulcem sume favum, dulcis Puer, (haec tua dona),
 8 dulcior ingenio non erit ille tuo.
 9 Accipe flos flores, qui flore nitentior omni,
 10 nasceris hibernas frigidus inter aquas,
 11 accipe quem reddo candentis velleris agnum :
 12 sed non velleribus par erit ille tuis.
 13 Accipe quam reddo post rustica munera vitam :
 14 ultima de donis sit mea vita meis,"

REVERSI SUNT PASTORES.

P3_48 v.1 Videre ut pecudum sacrum praesepe Magistri,
 2 felici redeunt in sua regna pede,
 3 quantum corda gerunt, quanta est opulentia mentis !
 4 Grandia, pro parvo munere, dona ferunt.
 5 Felices oculi, gelido sub fornice, natum
 6 cernere per tenebras qui potuere Deum,
 7 Inscriptis fidei pastorum in pectore credo
 8 ora sacri Pueri, Virginis ora, Senis,
 9 ut, dum corda graves lacerarent fessa labores,
 10 inspicerent animis nomina scripta suis,
 11 Ite domum teneros qui gramine pascitis agnos,
 12 cuique greges niveos pascitis, ite domum,
 13 Haec inscripta licet vestris sint limina fibris,
 14 plus manet in Pueri pectore vestra fides,

DE ADORATIONE MAGORUM. ECCE MAGI AB ORIENTE VENERUNT.
 MATH. 2.

P3_49 v.1 Quis trahit Eos sacra ad cunabula reges ?
 2 Praevia non soliti luminis astra monent,
 3 Majestatem animi pietas substernit et ardens
 4 thesauros aperit gratia, donat amor.
 5 Quanta fides lateat divino in pectore regum,
 6 lingua ubi conticuit, munera terna docent,

UBI EST QUI NATUS EST REX ?

P3_50 v.1 Sceptra manu tenera, Puer, o molire ; laborum
 2 primitias regni jam grave monstrat onus.
 3 Ne te paeniteat tam vastam attollere molem,
 4 haec est tanta humeris sarcina digna tuis,
 5 Quo plus regnorum tanta sub mole laboras,
 6 plus tibi mercedis, plus tibi laudis erit.
 7 Quod, si te faciet succumbere pondere moles,
 8 hoc onus immensum tunc tibi tollet onus.

HERODES REX TURBATUS EST

P3_51 v.1 Ne, rex, saevi animis ! Pueri quid nomina turbant ?
 2 Quid stabulum metuis ? Quid nova sceptra times ?

3 Qui caeleste dedit regnum mortale requiret ?
 4 Aurea qui donat sidera, regna petet ?
 5 Pone metus : non te blandis vagitibus Infans
 6 sollicitet ; nullus qui tremit, hostis erit.
 7 Non opus est ferro, non bellatrice phalange :
 8 quem fingis, pectus molle tyrannus habet.
 9 Plus tibi te timeo, quam vim, quam fulmina, tantum
 10 Herodi Herodes par, reor, hostis erit.

INTRANTEM DOMUM INVENERUNT PUERUM EUM MARIA MATRE EJUS.

P3_52 v.1 Nil minus ornatum est quam Natus, et aurea Mater,
 2 nil magis ornatum est, dum videt antra Magus.
 3 Ornat ovans Mater tenerum inter brachia Natum,
 4 exornat Matrem ceu rubra bacca Puer.
 5 Elysium Matri flos est pulcherrimus Infans :
 6 fit Nato Genitrix et rosa pulchra suo,
 7 Colla, velut gemmis, materna ardentibus ambit
 8 filius, haec Nato fit nova gemma suo,
 9 virginitas Matris Nato decus additur, illi
 10 majestas Nati stemmata summa dedit.
 11 Praestitit hic dulci decoris genus omne Parenti,
 12 haec decoris Nato dat genus omne suo.
 13 Ornamenta Magus non his majora requirat ;
 14 solum oculos, queis sint ista videnda, petat.

ET PROCIDENTES ADORAVERUNT EUM.

P3_53 v.1 Dum Magus Infantis cunabula pronus adorat,
 2 non sibi desipuit, sed sapit inde magis.
 3 Regia majestas, ingens sapientia, gazae,
 4 imperii solium grande, supremus honor :
 5 ne possint solita subito cecidisse ruina,
 6 ante decet Pueri procubuisse pedes.

OBTULERUNT EI MUNERA.

P3_54 v.1 Sidere monstratur sidus : lux luce refulget,
 2 ante fidem, fidei signa dedere Magi,
 3 tres tria dona ferunt, et trinum Numen adorant :
 4 tres titulos aurum, myrrhaque, thusque notant,
 5 pro linguis, Regum regalia dona loquuntur :
 6 dicturaeque minus, si loquerentur erant.
 7 Ditius hoc aurum numquam fuit : addidit illi
 8 dantis amor pretium, suscipientis honor.
 9 Utiliter donant, Pueri donante ; reportant,
 10 significant quantum regia dona, Magi.

AURUM.

P3_55 v.1 Si donum adspicitur, non est prae grande ; voluntas
 2 si mea, muneribus par mihi nullus erit,
 3 Non tam materies grata est tibi fulva metalli,
 4 significat pretio quam quod opima suo,

5 saecula quod condis felicibus aurea regnis
 6 fortunata jugum gens subitura tuum !
 7 Aurea saecula aliis, condis tibi ferrea, ferro
 8 ferrea transfiget lancea dulce latus,
 9 ferrum etiam geminas palmas, vestigia ferrum
 10 rumpet : mors durae ferrea sortis erit.
 11 Saucius es ferro ; ferro mactaris, et orbi
 12 de ferro veniunt aurea saecula tuo.

THUS.

P3_56 v.1 Dum dat tura Magus, donis haec insuper addit :
 2 "Thura sacerdotem te fore nostra docent.
 3 Crux erit ara tibi ; placabitur ira Tonantis
 4 victima cum propria sub nece, caesa cadet,
 5 tunc te purpureo de sanguine vestiet ostrum.
 6 Cor dabit ardentem ad sacra thura faces.
 7 Fidite, mortales veniam feret iste Sacerdos.
 8 Thura litant ; flectet victima et ara Deum."

ET MYRRHAM.

P3_57 v.1 Myrrha quid haec signet nosti, Puer ; aurea novit
 2 Mater et attonito qui tacet ore senex.
 3 Novi ego, sed murram, caelo monstrante, recepi ;
 4 ad desiderium sat facit illa tuum,
 5 do tibi quod poscis, quod nollem offerre, futurae
 6 indicium mortis quod tibi tristis erit,
 7 quantum oculos hilarat facies pulcherrima, tantum
 8 horrificat mortis tristis imago tuae,
 9 Qui te cumque manent tanto in discrimine casus,
 10 et me, crede, manent ; mors mea juncta tuae est.
 11 Accipe nunc myrrhas lacrimatas cortice : mortem
 12 cerne tuam in nostro munere, cerne meam.

DE FUGA IN AEGYPTUM.

AD PUERUM.

P3_58 v.1 Belle magis Phoebos nitidisque micantior astris,
 2 purpureas praefers qui Puer ore rosas ;
 3 quae tam dira feri, quae vis tam barbara monstri
 4 compulit e patrio te procul ire solo ?
 5 Ut te conspiciat, remoratur Cynthus axes ;
 6 ut te conspiciat, Cynthia frenat equos,
 7 indigna exsilio est facies tam bella nitorque
 8 immanes potuit qui domuisse feras.
 9 Ut reor, Herodes, monstris immanior, esse
 10 exsilio poterit non nisi causa tui.

AD VIRGINEM HELIOPOLI IN URBE EXSULANTEM.

P3_59 v.1 Solis habet nomen quae te urbs, sacra Virgo, recepit,
 2 clarior at multo sole erit illa tuo.
 3 De qua, Virgo Parens, venientia saecula dicent :

4 "Urbs felix, civis cui Deus ipse fuit ;
 5 felix, quae sacris sonuit vagitibus et quae
 6 vidit reptantem sustinuitque Deum.
 7 Sunt ubi siderei vestigia prima Tonantis,
 8 Numinis hospitiis est ubi certa domus,
 9 aequares Solymi rubefacta cacumina montis,
 10 sanguine tinxisset si sacer Agnus humum."

VIRGO AD EAMDEM URBEM.

P3_60 v.1 Urbs mihi semper eris Solymis acceptior oris,
 2 aurea quae clari nomina solis habes,
 3 in te nutriti tenerum, mea lumina, Natum :
 4 in te dum vixi, tuta hilarisque fui.
 5 Urbs eris una mihi Solymae mansuetior urbe ;
 6 Natum alis hospitiis, Nato alit illa cruces.

DE CAEDE SANCTORUM INNOCENTUM.
 AD HERODEM.

P3_61 v.1 Dum juvat Infantem crudeli perdere ferro,
 2 rex, magis immani tu nece dignus eras.
 3 Dum teneros perdis Pueri pro caede puellos,
 4 duritiam prodis, saeve tyranne, tuam.
 5 Ut dignum valeas aliquando extinguere monstrum,
 6 in tua, Rex, ferrum viscera conde tuum.

AD INNOCENTES.

P3_62 v.1 Qui spectat pugnas, dicet : "Genus acre leonum",
 2 qui corpus, dicet : "mitior agnus obit".
 3 Qui spectat palmas, "Heroas" dicet ; inermes
 4 qui videt, haud credit parta tropaea, manus.
 5 Fausta triumphalis spectat qui tempora mortis,
 6 primitias legis dixerit esse novae.
 7 Qui spectat Regis cunabula sacra, sodales
 8 verius Infantis dixerit esse Dei.

DE EISDEM.

P3_63 v.1 Fallor, an undanti penetralia caede rubescunt ?
 2 Stat sacra per medias hostia caesa vias.
 3 In natis matrum pracordia sauciat hostis,
 4 vulnere trux uno vulnerat ira duos,
 5 non facit ad saevos cervix tam parva leones,
 6 vulnera quo capiat vix sua corpus habet.
 7 Miles in innocuos, funesta quid induis arma ?
 8 Indue : plus armis officiosus eris.
 9 Dexterata crudelis venit officiosa peremptis :
 10 plus odio, blanda quam pietate, juvat.
 11 Tam male perdendo, matrum bene pignora servat :
 12 si bene servasset, fecerat illa minus.

DE PRAESENTATIONE (UT VOCANT) ET VIRGINIS PURIFICATIONE.
ORACULUM MALACHIAE 'VENIET AD TEMPLUM SUUM DOMINATOR' (CAP.3.)

P3_64 v.1 Quem cupitis Dominator adest : dominantis honores
2 dissimulat : Regni sceptrum superba latent.
3 Agmina non comitum, procerum non regia parent
4 obsequia, elatis nec rota currit equis.
5 Aulaea, et gemmis stellata palatia, fastus
6 sunt procul, et fasces, purpura Regis, opes.
7 Ista licet desint, non desunt signa, loquuntur
8 quae Dominum, et faciem quae dominantis habent.
9 Visa Parens oculis coram se prodit, et ore
10 monstratur viso, digna Tonante parens.
11 Cum Puer aspicitur facies belliscima dicit :
12 "Sum digna imperiis forma beata meis."

ORACULUM AGGAEI. CAP.2. 'IMPLEBO DOMUM ISTAM GLORIA.'

P3_65 v.1 Majestate sacra delubra Parentis honorat,
2 non sine prodigiis natus in orbe Puer.
3 Caelarint atavi gemma Gangetide templum,
4 ditius aspectu reddidit istesuo.
5 Hactenus implerant nebulae fumosaque caelo
6 gloria, densa sacras texerat umbra domos.
7 Delubrorum aditus praesentia Numinis implet,
8 et beat aspectu jam nova templa Puer.
9 Erigitur quantum supra mortalia Caelum,
10 tantum hujus crescet gloria samma domus.
11 Non jam mortales inter numerabere moles,
12 caelum Infans aditu, te facit iste suo.

POSTQUAM IMPLETI SUNT DIES PURGATIONIS. LUC.2.

P3_66 v.1 Saecula purificas, Virgo, non pectora : labes
2 quae tua deformet pectora, nulla fuit.
3 Vivis ad exemplum saeculorum ; exempta severa
4 lege puerperii, quod jubet illa, facis.
5 Dumque offers Natum, Pietas mirata profatur,
6 aspiciens faciem, munera, corda, preces.
7 "Officium disco Pietas pietatis : honores
8 Numinis ; officii Virgo magistra mei est."
9 Discere si possent pietatem Numina ; solum
10 Numinis exemplo Virgo magistra foret.

TULERANT ILLUM IN HIERUSALEM.

P3_67 v.1 Dum Virgo augustas Solymorum incedit ad aras,
2 offerat ut Patri pignora cara suo,
3 illam incedentem Virtus inspectat, et inquit :
4 "Virgo magisteriis me beat ista suis :
5 quam gravis incessus ! Majestas quanta ! Videtur
6 gratia virgineos composuisse gradus.
7 Illius in vultu videor speciosior, ora
8 quam mea natus dum mihi pingit honor.
9 Si sacra per nostras graderentur Numina terras,

10 non aliter possent figere, credo, gradus.
 11 Erudii mundum per secula multa, sed aras
 12 dum petit, incessu plus facit ista suo.

UT SISTERENT EUM DOMINO.

P3_68 v.1 "Sistimur ante tuos, Pater augustissime, vultus
 2 (sic ait ante aras, victima mira, Puer.)
 3 Differo, non redimo pretio, quam debeo mortem :
 4 differo, quo possim post graviora pati.
 5 Non dum membra, Pater, censentur idonea poenis :
 6 tam tenera in magnam nec manus apta, crucem.
 7 Sunt modicae vires, modicus cruor : augeat aetas,
 8 ibimus in magnas, corpora magna, neces.
 9 Si modo contingat tenero, te propter, obire :
 10 plus ego supplicii, quam volo, parcus ero.
 11 Debita persolvam, Genitor, tibi prodigus ; atrox
 12 exactor largi sanguinis, hostis erit.

DE EODEM.

P3_69 v.1 Virgo parens, offers sacris altaribus agnum,
 2 victima non melius, quam tua, Virgo litat.
 3 Ut te conspiciat, tua dona ut cernat Olympus
 4 labitur e superis, ad sacra templa, plagis.
 5 Tu trahis attonitum, trahit et tua victima caelum,
 6 dum videt exsultans, laetus Olympus ait :
 7 "Par meritis numquam munus manus obtulit aris :
 8 victima nulla polo tam pretiosa fuit.
 9 Ante Deus pecudum capiebat viscera, et artus :
 10 nunc de visceribus pectora nata suis.

ET DARENT HOSTIAM, PAR TURTURUM.

P3_70 v.1 Limina cum turtur defertur ad alta Tonantis,
 2 hostia virgineas quam decet ista manus !
 3 Quam nova virginitas, quae parturit integra, turtur
 4 tam nova virgineae victima matris erit.
 5 Respiciens Solymas, de caelo Numen, ad aras,
 6 donaque gestantem, talia dicta dabit :
 7 "Nulla mihi placuit, quantum haec placet hostia Mater
 8 gratior ante aras non stetit ulla meas.
 9 Munera suscipimus, non propter munera : nobis
 10 sed propter teneras, quae placuere, manus."

AUT DUOS PULLOS COLUMBARUM.

P3_71 v.1 Quam bene, Virgo, geris niveas ad templa columbas ?
 2 Convenit in mores alba columba tuos.
 3 Convenit officio : ramo frondentis olivae
 4 diluvii horrendas quae volat inter aquas.
 5 Pacem ipsam, non signa geris, Virgo aurea, pacis :
 6 pacis amans, gremio Pax sedet ipsa tuo.
 7 Pax erit empta tuis lacrymis, pax sanguine Nati ;

8 quae pretio tanto est empta, perennis erit.

ECCE HOMO ERAT IN JERUSALEM CUI NOMEN SIMEON,
ET SPIRITUS SANCTUS ERAT IN EO.

P3_72 v.1 Pectora divitiis opulentia Numinis implet
 2 sacra Senis : fragrans Spiritus addit opes.
 3 Quanta sub arcano sint Numina pectore, monstrant
 4 os, oculi, facies, vox sacra, lingua, genae.
 5 Et quas flammanti trahit alto a corde, favillae
 6 quas jacet, ardenti qui calet igne, Deus.
 7 Spiritus Infanti parat inter brachia nidos ;
 8 ad nidos Infans, quos parat ille, venit.

ET HOMO ISTE JUSTUS.

P3_73 v.1 Quam nova Justitiae forma est, quam bella renidet !
 2 Quam placet, in nivei pectore viva Senis !
 3 Justitiae comes omnis adest pulcherrima virtus :
 4 Pax, Amor, ardenti pectore pura Fides,
 5 Relligio, et Pietas, divina Modestia, candor :
 6 quique Senis casto gemmat in ore Pudor.
 7 Gratia virtutes, veluti nova gemma, coronat :
 8 fusa Senis niveo pectore, fusa genis.
 9 Justitiae facies quam mira, et blanda ! meretur
 10 quem tenerum amplexus inter habe(re) Deum. (vers lacuneux)

ET TIMORATUS.

P3_74 v.1 Nil magis est timidum, nil est audacius isto,
 2 canities decorat quam veneranda, sene.
 3 Quod timet, est audax ; ipsum Plutona lacessit ;
 4 provocat Inferna castra inimica domus.
 5 Audet inoffensas tractare viriliter angues :
 6 tutus ab exitio toxica dira bibit.
 7 Horrida terribiles coeant in castra Gigantes,
 8 dux quibus est Mavors : non timet ille minas.
 9 Si ruat, inflexa cervice repellat Olympum ;
 10 Oceani intrepidus, sub pede, calcat aquas.
 11 Ignibus astrorum famulis velut, utitur ; idem
 12 cogit ad imperium muta elementa suum.
 13 Quod timor hic pepulit gelidos de corde timores,
 14 dum timet, audaces reddidit ille metus.
 15 Quo magis iste timet, timor hoc audacius audet ;
 16 et quo plus audet, fortius ipse timet.

EXSPECTANS CONSOLATIONEM ISRAEL.

P3_75 v.1 Vitam exspectabas aliis, tibi reddita vita est,
 2 teque immortalem reddita vita facit.
 3 Aspiciunt dulcem felicia lumina vitam :
 4 affari vitam fas tibi, dulcis olor.

5 Quin etiam tremulis vitam complecteris ulnis,
 6 nec nisi de vita, scit tua lingua loqui.
 7 Corde infixam manet tibi vita, infixam medullis :
 8 cor sapit et vitam dulcis anhelat amor.
 9 Non habet accessus ad te mors effera, textit
 10 undique quem vita, tam bene, vita tua.

ET VENIT IN SPIRITU IN TEMPLUM.

P3_76 v.1 Magne Senex, summi laetaris imagine Regni,
 2 dum colis hic Solymae dulcia templa tuae.
 3 Inde petis summi delubra augusta Tonantis,
 4 et tibi tendenti, pro duce Numen adest.
 5 Occupat ingressum Virgo cum prole tremenda,
 6 inque ulnas transfert pignora grata tuas.
 7 Quis tantum inveniatur caelestis Numinis ? Olli
 8 dux nisi sit summi Numinis ipsa manus ?

ET IPSE ACCEPIT EUM IN ULNAS SUAS.

P3_77 v.1 Brachia qui cani mirus Senis occupat Infans,
 2 hospes amans sacri pectoris ante fuit.
 3 Solvat ut hospitium generosi pectoris hospes,
 4 occupat annosi brachia grata Senis.
 5 Exsulta, o Simeon, pretio : jam dextra Tonantis
 6 non melius pretium, quod tibi solvat, habet.
 7 Est tibi communis, Pueri cum Patre, voluptas :
 8 ipse manu gestas, quem gerit ille sinu.

DE EODEM.

P3_78 v.1 Dulce onus augustas Genitrix dum sistit ad aras,
 2 integra virginitas quod pariendo dedit,
 3 sustulit amplectens Senior reverenter in ulnas,
 4 admovet ad tepidos pondera grata sinus.
 5 Frigidaque Infantis recalescit ab igne, senectus :
 6 nec senii tantum, vis nova, sentit onus.
 7 A sene cum Puero fiunt commercia : caro
 8 datque Senex Puero molle cor, ille Seni.
 9 Blanda Dei pietas, tenero blanditur in Agno,
 10 gestit et humanos laeta tenere sinus.
 11 Complexuque Senis blande circumdata, monstrat
 12 quam sua in amplexus colla libenter eant.

ET AIT.

P3_79 v.1 "Accipis Infantis decus admirabile : mira
 2 respicis insuetum Matris in ore decus.
 3 Utraque forma rapit furtim tua lumina, quamvis
 4 dulciter haec rapiat, dulcius iste rapit.
 5 Inter utrumque, Senex, non vis sectacula rerum
 6 altera : fastidis cetera, laetus ais :
 7 "Lubrica quid sequimur ? Vanas quid imaginis umbras ?
 8 Sola Parens Nati est, Natus imago Patris.

9 Haec ubi conspexi, videam ne cetera, dixi ;
10 sponte mea nolo vivere, malo mori."

'NUNC DIMITTIS SERVUM TUUM, DOMINE.'

P3_80 v.1 Est desiderii factum satis ; ultima restant :
2 Christe, prius cupio, quam moriari, mori.
3 Nosco meae gentis praecordia ferrea, nosco
4 in tua sanguineas funera, Christe, manus.
5 Ne videam pressos immani verbere sulcos,
6 mille sacri fontes sanguinis, unde fluent :
7 ne sacra conspiciam rumpi vestigia ferro,
8 neve manus clavis, cuspide dulce latus,
9 tempora funestis squalentia vepribus, ora
10 felle madere, sacras imbre madere genas,
11 et Lunam, et maestum luctu pallescere solem,
12 dum pallore dolens pallet uterque tuo,
13 neve expirantem, transfixo pectore ; poenas
14 in te quot cernam, tot tolerabo neces.
15 Ne toties moriar, moriar semel ; ante peremptus
16 hoc uno fugiam funere mille neces.

SECUNDUM VERBUM TUUM IN PACE.

P3_81 v.1 Pollicitis opulenta tuis mihi vita peracta est :
2 spes erat in cursu, nunc mihi finis adest.
3 Vita quibus servata fuit, promissa videmus :
4 vita est laetitiae dulcis origo mea.
5 Paverat hos animos quondam fiducia : fructum
6 nunc oculis, animo, pectore, corde fero.
7 Vita fuit felix, felixque extrema senectus
8 jam vita infelix exitus esse nequit.
9 Aspicio pacem, pacemque amplexus adoro :
10 pace sub hac, tumulto molliter ossa cubent.

QUIA VIDERUNT OCULI MEI SALUTARE TUUM.

P3_82 v.1 Servatorem oculis astantem cernimus, implet
2 lumina qui vultu, qui mea corda suo.
3 Aspicio, quem non prisci videre parentes :
4 lumina regnantum, quas cupiere genas
5 omnia quem votis affectant secula, dulcis
6 est desiderii praeda petita mei.
7 Me super aethereus polus influit : undique fuis
8 deliciis, dulces cor liquet inter opes.
9 Delicias jam nemo meas miretur : in ulnas
10 nectaris Oceano si fluit aethra, meas.

QUOD PARASTI ANTE FACIEM OMNIUM POPULORUM.

P3_83 v.1 Ante hominum culpas, et turpia monstra paravit
2 ille Pater Natum, quo perit omne nefas.
3 Inchoat a lacrimis vitam : vitae ultima fletu,

4 flectat ut ad veniam corda Paterna, trahet.
 5 Victus amore dabit patefacto e corde cruorem :
 6 provocet ut sontes vel pretium, vel amor.
 7 Nunc latet in Puero pretium : Puer orbe paratur
 8 ut cruce conjuncto, debita solvat amor.

LUMEN AD REVELATIONEM GENTIUM.

P3_84 v.1 Condedit atra diem nox caligantibus umbris :
 2 mens hominum clarae nescia lucis erat.
 3 Post caligantes saeculorum in nocte tenebras,
 4 nascitur aeternus, Virgine matre, dies.
 5 Incipit in templo lumen clarescere, fausto
 6 carmine quem Cycnus, quem sacra monstrat Anus.
 7 Mille opibus, mille auxiliis miser indiget orbis :
 8 Ni, Puer, haec solvas nomina, nemo potest.
 9 Fons, cibus, Agnus, Ovis, Judex, Reus, Ara sacerdos,
 10 Victima, Rex, Pastor, Dux, Via, Currus, Eques,
 11 Instaurator eris saeculorum ; denique mundo,
 12 ut tua conspiciat lumina, lumen eris.

ET GLORIAM PLEBIS TUAE ISRAEL.

P3_85 v.1 Isacidum gens dura atavis, descendit Olympo
 2 augeat ut titulos, gloria summa, tuos.
 3 In Pueri facie, faciem cognosce Tonantis,
 4 quem modo in effigie fas tibi nosse sua.
 5 Infantis faciem, quam gratia blanda serenat,
 6 respice : quam decorat gloria, vestit honor.
 7 Est tuus hic sanguis, vivit tibi ; consecrat aras :
 8 et qua sit superis gloria, tota tua est.

IN CANTICUM SIMEONIS.

P3_86 v.1 Non placet argutos Cycnorum audire canores,
 2 ad vada Maeandri cum canit albus olor.
 3 En olor ad Solymas modulatus occinit aras,
 4 et tenet argutis Numina sacra modis.
 5 Nosse cupis cantus miracula rara ? Canentis
 6 ducit in amplexus lingua canora Deum.

ET ERAT PATER EJUS, ET MATER MIRANTES, ET BENEDIXIT ILLIS SIMEON.

P3_87 v.1 Felices ambo, felici sorte Parentes,
 2 cernere nascentis fas quibus ora Dei.
 3 Fas quibus affari, et collo dare brachia circum,
 4 et dare purpureis oscula mille genis.
 5 Arridere illi ; lacrimas siccare fluentes,
 6 aspera cum teneri corpora laesit hiems.
 7 Virginis admiror primos Genitricis honores,
 8 cui licet infantem parturuisse Deum.
 9 Admiror regnum Senis admirabile, paret
 10 cui Deus, et Genitrix imperiosa Dei.
 11 Quantum alitis mundo ! Quantum servatis ! Olympus

12 crescere divitias sentiet ipse suas,
 13 quae premit imperio divina potentia mundum
 14 cernitur imperio prompta subesse senis.

ET ERAT ANNA PROPHETISSA, QUAE NON DISCEDEBAT DE TEMPLO, JEJUNIIS ETC.

P3_88 v.1 O decus Isacidum, felicibus Anna hymenaeis !
 2 Inclita, post thalamos, laude pudicitiae !
 3 Flos aevi matrona tui, cui summa voluptas
 4 blanda voluptatum monstra dedisse neci.
 5 Templata tibi hospitium, vita inter sidera ; dulce
 6 in prece colloquium ; pro pietate labor.
 7 Dura fames et dura sitis mollissima mensae
 8 fercula, deliciae saepe fuere tuae,
 9 quae tam divinae praecedit imagine vitae,
 10 vates, fatidica vel sine voce, fuit.

ET LOQUEBATUR DE ILLO OMNIBUS, QUI EXSPECTABANT REDEMPTIONEM ISRAEL.

ANNA AD MOSIADAS.

P3_89 v.1 Mosiades, tenerae fugiant velamina frontis
 2 quae nisi delicias, nil nisi dulce sapit.
 3 En tibi formosi patuerunt lumina vultus ;
 4 majestate patens nec tibi damna feret,
 5 porrige colla Dei, dulcis sub imagine Nati :
 6 tendit in amplexus en tibi colla Puer
 7 blandiri ut posset dulci mortalibus ore,
 8 mitis in infanti cernitur ore Deus,
 9 in Pueri facie, faciem cognosce Parentis ;
 10 an tibi sunt oculis tegmina Mosiades ?

ANNA AD ISACIDAS

P3_90 v.1 Pone feros animos, feritas inimica Tonanti !
 2 Blanditias Pueri, gens fera, cerne Dei !
 3 Frangat inhumanos, divina infantia, sensus,
 4 blanda magis violis, plus tibi blanda rosis.
 5 Nil, quod in Infanti spectantia lumina laedat,
 6 invenies : summi summa decoris adest.
 7 Quidquid habent superi decoris, bellissima monstrat
 8 Infantis facies purpureaeque genae.
 9 Cernere si nequeunt Puerum tua lumina, caecus ;
 10 si cernis nec amas, durus es, Isacides !

ANNA AD ABRAMIDAS.

P3_91 v.1 Abramidae, teneris quantum hic molitur ab annis !
 2 Est Puer, et magno digna gigante facit.
 3 Infirma est aetas, infirma infantia : summum
 4 robur ab infirma debilitate capit.
 5 Infanti tenero non posse potentia summa est,
 6 ille vel Hyrcanas pertrahit ore feras.
 7 Bella imbellis agit geminis bellissima flammis :

8 absque manu, valida vim facit ille manu,
 9 Dum non posse Puer simulat, Puer omnia vincit :
 10 si te non vincit, verus es, Abramides ?

AD SIMEONEM ET ANNAM PROPHETISSAM.

P3_92 v.1 Proditur arcanum Verbum Patris : indicat albus
 2 canitie cynus, vaticinatur anus,
 3 undique circumstant Solymorum examina, vero
 4 dum canit ore senex, dum canit ore nurus.
 5 Vox tonat amborum caelata per atria templa :
 6 materies Puer est et sacra Virgo parens.
 7 Felices ambo felici munere : numquam
 8 tam nova materia est cognita, tamque vetus.
 9 Amborum numquam melius vel dulcius usa
 10 lingua ministerio nobiliore fuit,
 11 At Puer, augusta vel majestate vel ore
 12 sidereum spirans, dicta utriusque probat,
 13 Anna senexque parens, ne praemia quaerite linguis :
 14 praemia sunt oculis sat bona : lingua, tace.

AD SIMEONEM.

P3_93 v.1 Adventus felix augusta ad limina vitae,
 2 vita per adventum quando reperta tibi est.
 3 Pectoris aspiciunt pia limina Numinis ignes :
 4 corporis aspiciunt lumina membra Dei.
 5 Lingua etiam felix felici munere : prodit
 6 quando sub humana mole latere Deum.
 7 Jure senex poscis, membrorum ut sacra quiescans
 8 officia ; his nequeunt jam potiora dari.

REMANSIT PUER JESUS IN HIERUSALEM. LUC.2.
 AD JOSEPHUM FLORANTEM AMISSUM PUERUM.

P3_94 v.1 "Nil nisi flere juvat spoliatum lumine : sacro
 2 unde amor aeternas suscitatur imbre faces.
 3 Lumen abest ; quo triste mihi per funus adempto,
 4 debueram poenis non superesse meis.
 5 Quam male servavi dulcem, quo privor, Iesum !
 6 Cum quo rapta queror lumina, corda, animam.
 7 Excors spiro miser, video sine luce, supersum
 8 absque anima : tumulus sum necis ipse meae.
 9 Addita vita mihi, vita est superaddita morti :
 10 in me mors didicit non potuisse mori.
 11 Te mihi redde Puer : non es crudelis, Iesu,
 12 Agnus es, et tenera viscera Matris habes.
 13 Hostibus ora tuis, qui das spectanda, negabis
 14 officio, et studio, durior, ora Patri ?
 15 Respice canitiem miseri Senis, aspice pectus
 16 exhaustum in lacrimas, et sine luce genas.
 17 Aut te redde mihi, vel luctu interfice ; Palma est
 18 prae desiderii posse ferire tuis."

AD EUMDEM.

P3_95 v.1 Quid fles, maeste Senex, cur te tormenta fatigant
 2 aspera ? Cur tantum corque, animusque dolet ?
 3 Angeris, et laxas in fletum effundis habenas :
 4 liqueris, ut tenerae sole tepente nives.
 5 Vulnus alis tantum, quantum nec prodiga luctus
 6 mens capit, aut fando promere lingua potest.
 7 Damna boni amisi si fles prope mortuus : illud
 8 quantum erit amisso quo, sine morte peris ?
 9 Numquid in hoc noras monumentum, et pignus amoris,
 10 quo tua sic dempto, saucia corda dolent ?
 11 Si lacrymosus amor lacrimis metitur amorem,
 12 foenore cum magno damna rependet amor.
 13 Lumina, tam duros plorando experta dolores,
 14 aspicient, lacrymis quod meruere suis.
 15 Tertia lux oculis reddet, quem lumina plorant :
 16 quo sine, non poterat tam pius esse dolor.
 17 Editus ad lacrymas, lacrimis qui pascitur, ille
 18 talibus a lacrymis non procul Agnus adest.

VENIT NAZARETH, ET ERAT SUBDITUS ILLIS. AD. JOSEPH.
 ODA.

P3_96 v.1 Tutela quondam provida Virginis,
 2 tutela summi regia Principis,
 3 Josephe, quem Divum supremum
 4 prona solo Pietas adorat :
 5 cycnaea Vati da, peto, guttura,
 6 ut, quale Cycnus, cantet in exitu ;
 7 tropaea, victricesque palmas,
 8 nobile connubium, triumphos.
 9 Quis, Dive, Divum se tibi comparet ?
 10 Virtute, palmis, connubio sacro,
 11 candore morum bis nivali,
 12 officio, titulo Parentis ?
 13 Cui sacra nomen nobile gratia,
 14 tegmen camelus cui dedit horridum,
 15 cui fercla silvestres locustae,
 16 mella cavae, sed amara, quercus ;
 17 qui vincit ortu clarus, et exitu,
 18 honore, factis, munere, dotibus,
 19 quoscumque magnorum virorum
 20 eximiae peperere Matres,
 21 tantum beato pollice gentibus
 22 ostendit Agnum praetereuntibus,
 23 informe terrarum cruore
 24 Puniceo scelus expiantem.
 25 Vix audet undis tingere vitreis
 26 Christi rotantem sidera verticem :
 27 se, vilis indignum fatetur,
 28 qui ligulam crepidae resolvat.
 29 Praelate summis caelicolis senex,
 30 Custos Iesu proximus assides :
 31 primusque nascentem intueris
 32 et lacrimas Pueri, et Parentis.

33 Tu blandiendo suscipis : is tibi
 34 adblandienti dividit oscula,
 35 deque ore flagrantis latentes
 36 ore faces bibis, et favillas.
 37 Suspendis Agnum siderei Patris
 38 cervice blanda : cum Puero puer
 39 effectus ignescis, poloque
 40 invidiam facis intuenti.
 41 Jucunda misces gaudia gaudiis,
 42 miscent fluentes lumina lacrimas :
 43 dum ridet, arrides : vicissim
 44 corda sacros jaculantur ignes.
 45 Tam dite vena, quis potuit frui ?
 46 Tamque affluenter, maxime caelitum ?
 47 Profundit in sacras medullas
 48 plena tibi tua mens Olympum.
 49 Sequuntur Agnum per juga Virgines
 50 gemmata caeli ; te sequitur tener,
 51 tuisque votis obsecundat,
 52 et niveus tibi paret Agnus.
 53 Mirante caelo non solitum decus,
 54 pennata supra duceres agmina :
 55 senex triumphali coruscans
 56 Virginei titulo pudoris.
 57 Sit Sponsa summo proxima Numini :
 58 Sponsus propinquum proximus occupas ;
 59 bissena supremi senatus
 60 lumina, siderei que regis
 61 tibi micanti cedere gestiunt
 62 de sede, Christus quos comites sibi
 63 delegit ad magnos labores :
 64 sint famuli ; Pater es Tonantis.

IN NATALITIIS ELEGIAE.

ELEGIA I.

P3_97 v.1 Mittitur ad Mariam miro levis Aliger ore ;
 2 nuntiat hic : promptam praestitit illa fidem.
 3 Pectus in augustum magnum Patris incrementum
 4 labitur ; o quantum dat Deus, orbis habet !
 5 Majestate tumet gremium inviolabile : tantum
 6 fert uterus, quantum nec polus ipse capit.
 7 Exhilarant Matrem foetus miracula : novit
 8 dum sine patre hominem, dum sine matre Deum.
 9 Inque unum gemini sociantur pectus amores :
 10 et patris, et matris concipit una faces.
 11 Divitias superum celat sinus, invidet aether,
 12 transtulit in terras aethera virginitas.
 13 Advenere sacri felicia tempora partus :
 14 plenae laetitiae pectora Matris eunt.
 15 Protulit ora Deus, miroque apparuit ortu :
 16 invidiam Phoebos nox tenebrosa movet.
 17 Nox dedit augusti miracula dulcia partus ;
 18 nulla magis mundo prodigiosa fuit.
 19 Stella parit Solem, de fonte refunditur ingens
 20 Oceanus, caelum fictilis urna tegit.

21 Fons sitit, Aligerum cibus esurit, ipsa voluptas
 22 heu ! Dolet : illacrimant gaudia, sordet honor.
 23 Inchoat et vitam vita aurea, sacraque vitis
 24 efficitur fructus palmitis ipsa sui.
 25 Integra virginitas fecundi nescia partus,
 26 miratur gremio Numina fusa suo.
 27 Sponte sua cecidit maturus ab arbore fructus :
 28 nulla puerperium damna pudoris habet.
 29 Tabes carens gremium non est violabile ; solum
 30 claustra pudicitiae solvere culpa potest.
 31 Virginis, et Matris Genitrix sortitur honores :
 32 nulla tulit similes femina, nulla feret.
 33 In Matrem aethereos transfundit gratia fontes :
 34 praemia fert castus nobiliora Pudor.
 35 Exterius pia Virgo rosas, et lilia vincit :
 36 intus Olympiacos mens speciosa choros.
 37 Interius mentem Nati praesentia mulcet,
 38 exterius pascit lumina frontis honor.
 39 Virginis, et Nati teneri miscentur amores,
 40 alter in alterius pectore regna tenet.
 41 A Puer in Matrem nova flamma exsuscitat ignes :
 42 igne redardescit matris ab ore Puer.
 43 Alter in alterius defigit lumina vultus :
 44 lumina sed tacitae munera vocis habent.
 45 Ubera purpureis immulget eburnea labris
 46 agna Parens : niveae lac bibit Agnus ovis.
 47 Dulciter affectus feriunt nova foedera ; mirum est,
 48 foedere composito, fortius arma movent.
 49 Fortius haud umquam pugnas iniere Gigantes.
 50 Qua tener hic Agnus, quam tenera Agna facit.
 51 Et Nati, et Matris numquam pia bella quiescent,
 52 qui fuerit belli finis, amoris erit.

ELEGIA II.

P3_98 v.1 Inter opes inopes, et proelia dulcis amoris,
 2 sic ait alma Parens, imbre rigante genas :
 3 Infans Matris amor, Genitricis Nate voluptas :
 4 nostra gravis quantum gaudia fellis habent !
 5 Dum quid habes cultus, et quid mereare recordor
 6 cogor inassueto paene dolore mori.
 7 Cuncta mihi desunt ; gemino mihi fonte redundat
 8 ubertim lacrymae, queis tibi cuncta paro.
 9 O utinam possent lacrimis mollescere nostris,
 10 quae tibi suppono, mollia saxa forent.
 11 Tam cito ferre placet poenarum incommoda ! Crescant
 12 pectora, jam firmo pectore, dura feres.
 13 Cresce, Puer, crescant sacro cum sanguine venae,
 14 largius ut quondam caede rubente fluant.
 15 Uberius pretium, mundo lugente, profundunt :
 16 quale Pater poscit, crimina quale petunt.
 17 Tam grave tormentum si fert infantia, quondam
 18 quam grave supplicium, quam grave funus erit ?
 19 Si tunc dura gravi rumpentur marmora luctu,
 20 qualia tunc Matris corda dolentis erunt ?
 21 Ut fugiam poenas non tristia funera posco :
 22 vitam oro : mortis sim comes ipsa tuae.

23 Ne tua me perimat saeva inter funera luctus,
24 haec mora supplicii quam mihi dulcis eris.

ELEGIA III.

P3_99 v.1 Filius at Matri sic responderet amanti,
2 ni Superum dives copia muta foret.
3 "Pone modum lacrimis, Mater dulcissima ; Mater,
4 additur ad poenas haec tua poena meas.
5 Quod me pauperies, quod me mala frigora torquent,
6 quod stabulum domus est, quod mihi fulcra solum :
7 haec tolerare leve est : animum majora fatigant,
8 interius gravior causa doloris adest.
9 Quidquid erit scelerum, quidquid fuit orbis ab ortu,
10 impositum est humeris pondus id omne meis.
11 Haec mea monstra gravant praecordia, more leonum
12 pectora dilacerant, dilacerata vorant.
13 Caede rubescentes pendent de vulnere rictus,
14 nec datur a saevis morsibus ulla quies :
15 indignata fremunt, poscunt cum sanguine poenas,
16 solvere quae volui debita, monstra petunt.
17 Donec erit sanguis, numquam satiata quiescent,
18 hunc sitiunt : caedis prodigus ipse dabo.
19 Praeveniunt mortem tormenta doloribus : instat
20 ultima, vix nato, funeris hora mihi.
21 Sunt mihi delicia praesepia dura videnti
22 fulcra cruentatae sanguinolenta crucis.
23 Nunc mihi fausta canunt superi : tunc carmina cives
24 opprobriis, moto vertice, foeda canent.
25 Nunc mihi lac niveum niveo dant fonte papillae :
26 at mihi tunc tristis pocula fellis erunt.
27 Mitia nunc tepido mulcent animalia flatu ;
28 tunc mea qui laceret pectora miles erit.
29 Ecce vides radiis piceam splendescere noctem,
30 caecae instar noctis tunc erit atra dies.
31 Te fruor hic, gremio tibi sarcina blanda quiesco :
32 mortuus, in gremio quam grave pondus ero ?
33 Mortua non moriens, vivens non viva, videbis
34 exhalantem animam, quam procul ore leges,
35 quin etiam exanimis patiar nova vulnera ; mortis
36 tunc simulacrum ingens, tunc morientis eris.
37 Deploranda manent tibi plurima : supprime fletus,
38 fatalis lacrimas, cum feret hora, dabis,
39 divide suppliciis lacrimas : mihi dura supersunt
40 vincla, faces, sudor, vulnera, dura manus,
41 atria pontificum, praetoria regia, clamor,
42 praepositusque latro, dura columna, rubi,
43 aspera crux humeris imposta trementibus, hasta
44 ferrea perque manus spicula perque pedes.
45 Cara Parens, lacrimas in tot tormenta reserva ;
46 his tibi servatus vix satis humor erit.

ELEGIA IV.

EGREDIMINI, FILIAE SION. CANT, 3.

P3_100 v.1 Ite Sionaeae sacro de vertice nymphae,
 2 Isacii priscum sanguinis ite genus.
 3 Ite, genus sacrum : sensus transcendite metas
 4 et grave terrenae ponite molis onus.
 5 Purius adspiciant terso pia lumina visu,
 6 alta super velox sidera visus eat.
 7 Adspicite exesa Regem sub rupe latentem,
 8 quem modo Virginea carne coronat amor.
 9 Immortale aurum licet hunc et gemma coronent,
 10 corporis exuvias ut nova sarta gerit.
 11 Ite, genus sacrum, praesepia visite Regis,
 12 fornice suspensae visite tecta domus.
 13 Adspicite Oceanum modica mansuescere concha,
 14 in picea clarum cernite nocte diem,
 15 cernite : in exiguo magnus leo nascitur agno,
 16 magnus, in infantis corpore, mole gigas.
 17 Immortalis habet corpus mortale : doloris
 18 nescia Virgo Patrem parturit alma suum.
 19 Copia pauperiem, non posse potentia discit :
 20 fulminat, et nullum dextera fulmen habet.
 21 Decidit augusto majestas culmine : lapsum
 22 majestas mundum dum cadit ipsa levat.
 23 Nascitur Aeternus de tempore, lubrica mundi
 24 qui facit ad nutus currere saecula suos,
 25 En sine principio primordia sumit origo :
 26 Matre minor suboles nascitur aequa Patri,
 27 se pia majestas Puero metitur et aequat ;
 28 nec tamen aequando redditur illa minor.
 29 Adspicite innocuas incendia lambere frondes
 30 integraque in madido vellera sicca solo.
 31 Virga renascentes miratur ab aethere flores,
 32 cui non terra, sacrum sed dedit aethra decus.
 33 Legiferum fiscella vehit per flumina Mosen
 34 et tener undantes fluctuat inter aquas.
 35 Fluctuat inter aquas, instant fera tempora, quando
 36 ipse sua merget corpora pressa nece.
 37 Ipsa Parens Nati versabitur uda cruore :
 38 cuique levet mersos, de nece, nullus erit.
 39 Utile naufragium caelo, simul utile mundo,
 40 auxilium Domino mersa carina tulit.

ELEGIA V.

P3_101 v.1 Ite, Sionaeae sacro de vertice nymphae ;
 2 ite, Sionaeae gloria summa domus.
 3 Inter mansuetas miracula cernite cunas
 4 quae facit exortus Virgine matre Puer,
 5 Pastor et esca jacet stabulo : pueriliter Agnus
 6 ad nova balando pabula ducit oves.
 7 Ne desint fontes ovibus sitientibus, ultro
 8 parturiunt fontes lumina bina duos.
 9 Allicit attonitum felix infantia mundum,
 10 allicit et captum, dulcit ut esca, trahit.

11 Mollia divini per membra loquuntur amores :
 12 ora aperit tot amor, membra quot ante Puer,
 13 alloquium caeleste fluit per membra, recessus
 14 pectoris occultos vox sine voce ferit.
 15 Hamum habet et dulces vox numquam audita saporos :
 16 dulciter hi mulcent pectus ; at ille trahit,
 17 luditur utiliter sic gens humana per artem ;
 18 dum sic decipitur, sic cupit illa capi.
 19 Pectora lacrimulis franguntur aenea, dulces
 20 crimina panniculi prodigiosa tegunt.
 21 Vox fugat infernos Agni lacrimosa leones,
 22 ignea vagitus territat ora canum.
 23 Fasciolae solvunt duris vestigia nodis,
 24 ut superas possint ire, redire vias.
 25 Astra rotant nutus, pugnant, ut fulmen, ocelli,
 26 felix aspectu quem ferit ille suo.
 27 Dulce manet stabulum sacri penetrabile Tonantis ;
 28 explicat aetherias stramine, mensa dapes.

ELEGIA. VI.

P3_102 v.1 Quanta sub angusta mysteria rupe latescunt !
 2 Plus caelo, et terra, qui latet intus, habet.
 3 Inchoat a cunis magnarum exordia rerum :
 4 fundamenta, manu non quatienda, jacit.
 5 Instauranda novum reparantur saecula in aurum,
 6 aurea progenies, hoc duce, surgit humo.
 7 Jam parat absumptas mors effera reddere praedas ;
 8 jam fera promittunt Tartara victa suas.
 9 Jam puer exuvias avida de fauce recepit,
 10 quas portentifico sorbuit ore draco.
 11 Jam septemgemi turbant trepida ostia Nili,
 12 et Pelusiaca jam simulacra Phari.
 13 Talia de cunis infantia mollibus audes
 14 addere, blanditiis imperiosa tuis.
 15 Quid facies, cum longa virum firmaverit aetas,
 16 prodigia in cunis quae numerosa facis ?
 17 Cernere erit claudos cursu praevertere ventos,
 18 oraque non solitos fundere muta sonos.
 19 Tabida defugient veteris contagia morbi,
 20 pallida lucentem noctis ut umbra, diem.
 21 Firma super tremulum figes vestigia pontum :
 22 murmura frenabis voce fluentis aquae.
 23 Surgere mors gelidis mirabitur atra sepulchris,
 24 funeris annosas corpora passa moras.
 25 Incluta se quantis attollet gloria rebus !
 26 Justitiae quantus tunc erit orbis honor !
 27 Non tibi subjiciet regum fastigia Mavors,
 28 viribus armorum plus tua forma potest.
 29 Dulce decus belli, placidi nova gloria Martis !
 30 Frangere magnanimos frontis honore duces.
 31 Jura dabis, legemque feres : mutabitur orbis ;
 32 mira prius facies : in cruce mira feres.
 33 Interea gemini stillent sine murmure fontes,
 34 fontibus his lacrymas addat amica Parens.
 35 Astra petunt lacrimae : grata est mixtura Tonanti,
 36 et geminant pretium dulce fluentis aquae.

ELEGIA VII.

P3_103 v.1 Ite citae Nymphae, dulces haurite liquores,
 2 et puram gemini sumite fontis aquam.
 3 Ut Puer ad fontes sitientem impellat amorem,
 4 totus in irriguas lumina solvit aquas.
 5 Praetulit exoriens insignia dulcia mundo,
 6 illa quibus dulcis conciliatur amor.
 7 Ergo genus sacrum, sacris provolvere cunis.
 8 Expellent tristem flumina blanda sitim.
 9 Nil est quod timeas, nil est terroris in illo :
 10 delicias praefert pectore, fronte, genis.
 11 Dissimulat regni fastigia, monstrat amorem,
 12 quo te deliciis in sua regna trahat.
 13 Si te turpe nefas, scelerum si terret imago,
 14 si cor sollicitant facta nefanda tuum,
 15 nescit in admissas irasci infantia culpas,
 16 dulciter ignoscit blandus amore Puer
 17 nil est quod metuas violenti fulminis ignes ;
 18 non jacet imbellis fulmina dura manus.
 19 Fulmina nec molli jaculabitur ignea dextra,
 20 subripuit Puero fulmina blandus amor.
 21 Nec metuas densas, populo stipante, catervas :
 22 est comes, annono cum sene, Virgo Parens.
 23 Moenia ne timeas, aut propugnacula : natum
 24 regem dura silex, et sine poste tegit.
 25 Diluvii metuis si forte tumescere fluctus,
 26 de niveis tantum profluit unda genis.
 27 Martia castra times, violentaque Principis arma ?
 28 Ad cunas tantum bos, et asellus adest.
 29 Si Pueri metuis clamosa tonitrua vocis,
 30 aut tacet, aut tantum vox lacrimosa sonat.
 31 Forte odium turbat, prohibetque accedere ? Tantum
 32 pro te qui patitur, non Puer odit, amat.
 33 Ne neget hic veniam submissa potentia monstrat
 34 quod dabit, ostendit prodigiosus amor.
 35 Largior in poenas, in munera frena relaxat :
 36 esse negatur amor, qui sua dona negat.

ELEGIA VIII.

P3_104 v.1 Ite Sionaea, veniam deprecate Nymphae,
 2 sollicita veniam poscite mente, dabit.
 3 Nil magis hoc puero fuerit placabile : quando
 4 praevenit immanes supplice voce reos.
 5 Occupat ad veniam, sequitur post terga fugaces,
 6 ut placare sibi Numina laesa velint.
 7 Indulgere, putat compendia magna : triumphat
 8 laetior, errantem quando reducit ovem.
 9 Assiduis infans precibus solet addere fletus,
 10 molliat ut lacrimis saxea corda suis.
 11 Immemor irarum, pietatis idoneus auctor,
 12 nescia crudelis viscera fellis habet.
 13 Debita flagitiis, in se crudelia transfert
 14 supplicia, ut parcat, propria membra ferit.

15 Haec tenera Infantis, clemens et amabilis aetas
 16 principium veniae debuit esse reis.
 17 At quos turpe nefas, quos crimina foeda morantur,
 18 spes venia facilis, gratia blanda trahat.
 19 Quid non dulce mihi felix infantia profert ?
 20 Quos mihi caelestes non parat illa favos ?
 21 Fellea qua fuerant, Patris praecordia fecit
 22 dulcia : conspectu fecit amica suo.
 23 Ingenio Pueri dulci dulcescit Olympus :
 24 melleus est aether, felleus ante fuit.
 25 Melleus est Infans, rorant dulcedine vultus,
 26 melle genae, cervix lactea melle madet.
 27 Melle madent oculi, roseis affusa labellis
 28 mella fluunt, mellis nectare dulce latus.
 29 Melle madent Pueri praecordia, melle papillae,
 30 mellea de dulci gutture vena fluit.
 31 Quid nisi dulce polus, Puero duce, funderet ? Undans
 32 melle sinus Matris, quid nisi dulce daret ?
 33 Quaeritis in terris quid jam mea lumina ? Tantum
 34 aut caelum, aut stabulum cernere, dulce reor.

ELEGIA IX.

P3_105 v.1 Lucis inaccessae subter tentoria Numen
 2 conditur : obtectu luminis ora tegit.
 3 Ignea majestas excludit lumina, visus
 4 ora Dei frustra conspicienda petit.
 5 Muneribus Numen notum fuit : ullius aequor
 6 dives erat largo munere, dives humus,
 7 senserat officiis tellus opulenta Parentem.
 8 Quem quod non posset cernere tristis erat,
 9 durum erat adspectus Domino servire neganti.
 10 Numinis obsequium triste latentis erat.
 11 Straverat informis mundum pavor, omnia terror
 12 solverat, horridior funere terror erat,
 13 in Styga tergemino majestas ignea telo
 14 meraserat audentes poscere summa choros.
 15 Ivit in obscuras, tonitru reboante, cavernas
 16 territa gens : quassus fulmine mundus erat,
 17 quin timor exclusit dulcem dominantis amorem,
 18 duxit ad infandos territa corda deos.
 19 Nescit amare timor ; sua funera maluit orbis
 20 quam tolerare gravis tristia damna metus,
 21 quem face perdiderat, ponto quem vindice mundum,
 22 dulcis ad obsequium ducit amore Pater.
 23 Sunt nova cum mundo caeli commercia : reddit
 24 sculpta suis populis pollice jura suo,
 25 Quid Pelusiatis referam miracula regnis
 26 edita ? Quid duri saxea corda ducis ?
 27 Dum sequitur densis fugientia terga manipulis,
 28 dum parat ad caedes barbara turba manus ?
 29 Extemplo stetit unda fluens ; maria alta recurvo
 30 in faciem gemini gurgite montis eunt.
 31 Desuper incubuit Phariis gravis unda quadrigis,
 32 esseda purpureis regia mergit aquis,
 33 aemula quid memorem pluviis convivia nimbis ?
 34 Quaeque prius fuso fercula rore cadunt ?

35 Esca refert simplex discrimina cuncta saporum,
 36 solvitur in laticum pocula dura silex,
 37 Qui male turbabant dulces, tua lumina natos,
 38 nec mora telluris praeda vorantis eunt.
 39 Vox Phaethontes tenet imperiosa quadrigas :
 40 territat hostiles vis lapidosa globos.
 41 Per decus eximium et magni splendoris honorem
 42 Isacidae Syrias incoluere domos.
 43 Lac ubi per pingues et mella fluentia glebas,
 44 vernat humus baccho, Pallade vernat humus,
 45 Muneribus cepere hominum mansuescere corda ;
 46 dulcis amor Patris mollia corda facit.
 47 Sacra per humanas arsere incendia mentes,
 48 flammavere avidis pectora dura rogis.
 49 Incaluere animi flamma rapiente medullas,
 50 non ita Sicaniis aestuat Aetna jugis.
 51 Ardens crevit amor, crevit fiducia : Numen
 52 optavere oculis dulce videre suis,
 53 quod nequit, audet amor : nullis frenatur habenis,
 54 nil duce iudicio, nil ratione facit,
 55 ardua temptat ovans ; nescit diffidere ; Mavors,
 56 fax, fera mors ceptum non remorantur iter.
 57 Fit nisi compos amor voti, maleperdet amantem,
 58 inconcessa avida praeripit astra via,
 59 legifer ardet amans faciem spectare Tonantis,
 60 quique gigantaeo funere clarus ovat.
 61 Non tulit has poenas blandi indulgentia Patris :
 62 qua se monstraret, repperit arte viam,
 63 Naturam aligerum, nequeat quod sumpta videri,
 64 respuit ; humanum vel grave sumit onus.
 65 Ergo, satis fecit cupido Deus aequus amori,
 66 dum se conspicuum, quod cupit ille, dedit,
 67 providitque oculis, nostro providit honori ;
 68 plurima sic unum debita munus habet.
 69 Proditur utiliter praesentia Numinis orbi,
 70 augusto felix redditur ore solum,
 71 Ipse amor in terras totum inclinavit Olympum ;
 72 decidit, aethereo quidquid in orbe fuit.
 73 Tantum opibus locuples, quantum Deus orbis abundat,
 74 iste Dei sed opes possidet, ille suas.

ELEGIA X

P3_106 v.1 Ponite victori de majestate tropaeum ;
 2 vicimus, assumpsit corpora, dixit amor.
 3 Nascitur occulta per amica silentia noctis :
 4 regali e solio venit in ima Deus.
 5 Vilibus occulitur Verbi omnipotentia pannis,
 6 nectare pro dulci munera lactis habet.
 7 Frigida saevit hiems, et membra tenerrima laedit :
 8 olli dura silex est domus, auctor ego.
 9 Quanta beant superos plorare coegimus ora
 10 et tremere, assuetas fortia ad acta manus.
 11 Iracunda Deo subduximus arma Tonanti,
 12 quasque aliis poenas destinat, ipse subit.
 13 Quem circum stabant superi sacra agmina regni,
 14 in cunis mutum cingit utrimque pecus.

15 Tantorum si causam operum fortasse requiris,
 16 sola est causa ingens vis mea, solus amor.
 17 Me quicumque meis attollis in astra triumphis,
 18 cognita cui regni grandia jura mei,
 19 mitte alios titulos ; dic me vicisse Tonantem ;
 20 hic titulus palmae nobilioris erit.
 21 Numina si vinco, cur non mortalia vinco
 22 pectora ? Si cedunt summa, quid ima tument ?
 23 Fortiter in summis adamanta refregimus astris,
 24 durat adhuc solidum, vile, tenaxque lutum.
 25 Aeternus mortalis adest, mea vincula sensit :
 26 vincula mortalis, rejicit ista, manus.
 27 Exarmata jacet majestas summa, nitensque
 28 regia sub vili purpura veste, latet.
 29 Quique supercilio facilis movet omnia, mitis
 30 subdidit imperiis regia colla meis ;
 31 utque polo quondam duri infremuere Gigantes,
 32 et juga Threiciis imposuere jugis.
 33 Ficta luto pubes contra mea Numina pugnat,
 34 dira Gigantea concutit arma manu.
 35 Imperiis cessit si summa potentia nostris,
 36 cur homo jam victas non dabit ipse manus ?
 37 Vile ministerium non aversatur Olympus,
 38 vile ministerium vilis abhorret humus.
 39 Vicimus ; invicto de Numine parta tropaea
 40 stant super aethereas imperiosa plagas.
 41 Olli cedat humus, cui summa potentia cessit,
 42 detque mihi victas, ut dedit illa, manus.
 43 Antra super stabunt parti monumenta triumphii
 44 grandibus in curvo fornice caesa notis.
 45 Haec duo fixit amor diverso ex hoste tropaea,
 46 haec homine e victo rettulit, illa Deo.

ELEGIA XI.

P3_107 v.1 Carpite felices felicia gaudia sensus,
 2 thesaurum exposuit Gratia larga suum.
 3 Hactenus auditus felix fuit : hactenus aures,
 4 audierant sacros, quos dabat aethra sonos.
 5 Paene pares reliqui stolidis animantibus, aethram
 6 nescierant ; at nunc aethera nosse valent.
 7 Jam quae tangat, habet tactus plus mollia plumis
 8 pectora, plus teneris mollia membra rosis.
 9 Libat in hoc puero gustus nascente saporis,
 10 flammeus ardenti quos parat igne focus.
 11 Lumina conspiciunt, pascunt pia lumina florem,
 12 regia formosum quem modo Virgo parit.
 13 Flos novus aethereos de pectore spirat amores,
 14 carpat odoratus gaudia spirat odor.
 15 Diripite, o sensus praeda est communis amoris :
 16 convenit in tantas tanta rapina manus.
 17 Janua tota patens foribus caret : apta rapinis
 18 est domus : imbelles sunt duo, Virgo, Senex.
 19 Qui rapit hanc praedam, caelum rapit, auctaque raptu
 20 jam nihil ad praedam dextra, quod addat, habet.
 21 Ostia caelesti tot sunt adaperta rapinae,
 22 funerea leto quot patuere viae.

23 Auribus auditur, quem non audire potestas ;
 24 olfacit olfactus, quem fuit ante nefas.
 25 Esca fit humano Deus intractabilis ori,
 26 tangitur intactas, mitior agnus ove.
 27 In linguam venit effari quem copia nescit,
 28 inque oculos, is quem cernere nemo potest.
 29 Diripite hanc praedam, vestra est, abducite sensus :
 30 qui caret hac sensus, sensum habuisse neget.

ELEGIA XII

P3_108 v.1 Est desiderii factum satis ; ipsa voluntas
 2 perfruitur votis jam satiata suis.
 3 Pignora laetitiae lacrimae sunt pectoris ; illae
 4 quo magis erumpunt, hoc magis ardet amor.
 5 Ardet amor duras vitae percurrere poenas
 6 monstraque purpurea perdere saeva nece.
 7 Quo magis accedit fortis bellator ad arma,
 8 pectora, laetitiae plus venientis, habent.
 9 Hinc chorus aligerum, quod dulcia gaudia norit,
 10 laetitiae signis, gaudia flentis obit.
 11 Laetior hinc toto circumsonat aethere pacem
 12 et vocat ad plausus rustica corda suos.
 13 "Regia majestas, dicit, mitescit in usus,
 14 abdita sub vili purpura veste latet.
 15 Sidereos orbis qui pollice finxit et astra,
 16 editus ab stella parturiente, jacet.
 17 Corpora qui nescit, species quem nulla figurat,
 18 membra, figurati corporis instar, habet.
 19 Vertitur in pretium pretii largitor opimi,
 20 dux libertatis, vincula servus habet.
 21 Majestate caret majestas summa ; salusque
 22 aegra jacet ; bonitas crescit ad ima malis.
 23 Libertas famulatur ovans et summa potestas
 24 facta sub infirma debilitate dolet.
 25 Mutavere vices ima et suprema potestas :
 26 infima summus apex, vile suprema lutum.
 27 Pauperiem patiuntur opes, fit dives egestas ;
 28 gaudia delicias dedidicere suas,
 29 Libertate caret libertas ; vincla resolvit
 30 qui mortis, vinctus vincula dura gerit.
 31 Induitur poenis, poenas ut demere possit
 32 poenaque jam poenas demit amica suas.
 33 Qui prius incautos deceperat arte parentes,
 34 callidus occulta fallitur arte draco.
 35 Territat infantis ditem vagitus avarum :
 36 Tartara lacrimulis jam minus igne calent."

LIBER QUARTUS.

DE CHRISTO NATO.
IN VARIAS CHRISTI, ET VIRGINIS TABELLAS.

(738 vers)

IN EFFIGIEM VIRGINIS MATRIS.

P4_1 v.1 Bella puerperio Regina puerpera ; bellum
 2 natum habet in gremio bella Puella suo.
 3 Bella magis Phoebo, plus bella nitentibus astris :
 4 bella magis gemmis : plus rosa bella rosis.
 5 Ostro bella magis : niveis plus bella columbis,
 6 plus bella electro, plus quoque bella nive.
 7 Bella magis cedro, viridi plus bella cupresso,
 8 et Libano, et platanis : Iride bella magis.
 9 Plus bella argento, simul et Gantetide bacca
 10 plus bella aethereis, igne flagrante, choris.
 11 Bella magis, niveis cum Filius insidet ulnis,
 12 plus bellam, bellus qui nitet ore facit.
 13 Exempla affectat bellae bellissima forma
 14 si polus, et Mundus : spectet utrumque videt.

IN EAMDEM EFFIGIEM.

P4_2 v.1 Sol decus astrorum, flammaram absconde nitores,
 2 jam tua qui vincat lumina, Phoebus adest :
 3 purpureas, aurora, genas, et plena rosarum
 4 ora, sub Eois abdita conde vadis.
 5 Prodit bella Parens, prodit bellissimus Infans
 6 qui tenet aspectu sidera rapta suo.
 7 Alter in alterius spectatur imagine ; Natum
 8 illa refert, Matris Filius instar habet.
 9 Illa minus Nato ; sed plus dedit ille Parenti :
 10 a Nato Genitrix omnia dives habet.
 11 Illa animos raptat, raptat bellissimus Infans :
 12 blanditiis certant ille, vel illa suis.
 13 Ille hominum pulchra sub imagine raptat amores :
 14 Illa etiam pulchrae frontis honore rapit.
 15 Certant blanditiis Nati et Genetricis amores,
 16 vincit duritia qui minus inter amat,

IN EAMDEM

P4_3 v.1 Seu Matrem adspicio, seu pignora cara, decore
 2 corda oculosque meos raptat uterque suo.
 3 Delicias Genetrix dulci pro rore profundit,
 4 delicias fundit melleus imbre Puer,

5 Delicias inter duplex me flamma perurit ;
 6 ore faces Genetrix suscitatur, ore Puer,
 7 nil magis optarim quam sic producere vitam,
 8 quam beat hic forma, quam beat illa sua,

AD EAMDEM

P4_4 v.1 Blanda Parens Puero tenere blanditur Iesu :
 2 blanditias Matri non minus iste facit.
 3 Ambo alternanti flammant pia pectora visu,
 4 gaudia per dulces dantque feruntque vices.
 5 Matrem inflammando, materna incendia mulcet
 6 visa graves lacrimis sumere flamma faces.
 7 Sidereis Matrem, pro cuspide, figit ocellis,
 8 pro clipeo, Genetrix dulce cor alma parat.
 9 Pascitur et pascit, lactat lactanda virago :
 10 alter ab alterius nectare, nectar habet.

AD EAMDEM.

P4_5 v.1 Tantum habet in gremio Virgo augustissima, quantum
 2 non tellus, solido non capit orbe polus.
 3 Tantum virginitas ad eburnea brachia traxit ;
 4 Virginitas tantum sustinuisse potest.
 5 Divide divitias, Virgo aurea, divide gazas ;
 6 thesauros gravidi divide, Virgo, sinus.
 7 Non tibi decrescet, misero quod sparseris orbi ;
 8 tam mirae servas condicionis opes,
 9 vincit egestatem tua copia ; prona voluntas
 10 plus dare vult, hominum quam pia vota petunt.
 11 Ergo homini vitam, caelo decus, aurea mundo
 12 saecula dabis. Superest quid tibi deinde ? Deus.

AD EAMDEM EFFIGIEM CUM LACRIMIS.

P4_6 v.1 Dum Puero arridet Genetrix, Puer ipse Parenti ;
 2 gaudia terra ferax, gaudia Olympus habet,
 3 Dum Puer illacrimat Genetricis lumina rorant
 4 et madidae fundunt flumina plura genae.
 5 Ora per Infantis maestaeque per ora Parentis,
 6 decidit in tepidos gemma gutta sinus,
 7 his lacrimis mersatur amor : concentus Olympum
 8 plorantum e querulo murmure dulcis adit,
 9 Patris et heroum dulcis canor occupat aures,
 10 tum Genitor : "Pono fulmina ; dona paro.
 11 Ut mihi blanditur Suboles, ego blandior illi,
 12 quae mihi de lacrimis nablia blanda facit.
 13 Cresce, Puer ; quondam ligno citharoedus ab alto
 14 ad me, dulce canens, omnia rapta trahes."

PUER IESUS IN MATRIS SINU LACTATUS.

P4_7 v.1 Insideo in gremio Genetricis et ubera lambo :
 2 mitiget irati lactis ut unda faces.

3 Lac nisi virgineum me molliat, ignea mundum
 4 in cineres solvet pectoris ira mei,
 5 Virgineo in gremio, post dulcia pocula lactis,
 6 ignea dedidici fulmina : laesus amo,
 7 Matris ad ingenium, tenerum mutatus in Agnum,
 8 is modo sum, vindex qui leo nuper eram.
 9 Vagitum dedimus durae post proelia pugnae ;
 10 plus mihi vagitus quam mihi pugna dedit,

DE EODEM

P4_8 v.1 Virginis in gremio quid agam fortasse requiris ?
 2 Esse volo dextrae praeda opulenta tuae.
 3 Fac vim, me rapies, nec enim pia Virgo resistet ;
 4 pugna, expugnari se cupit illa, tua.
 5 Mox bona mutemus, dono immortalia ; dona
 6 mortale hoc : dono magna : minora dabis.
 7 Redde hominem, tibi reddo Deum ; mea cuncta tuasque
 8 do tibi delicias : tu mihi redde meas,

DE EODEM

P4_9 v.1 Fulmina deposui majestatemque severi
 2 Judicis et blanda sum modo fronte Puer.
 3 Dulce mihi ingenium : tum blanda infantia dulcem
 4 me facit infantem : cur, homo vane, fugis ?
 5 Nostra quiescenti tibi sint praecordia nidus,
 6 et tua sint cordis corda cubile mei.
 7 Blandior ecce tibi ; Puero blandire vicissim ;
 8 hic tener affectus dignus amore tuo est.
 9 Sum gemma, adde sinum : nivea de Matre decorus
 10 sum flos, virginea me modo carpe manu.
 11 Sum tener Agnus ego : nostro te vellere vesti :
 12 carne famem nostra pelle, cruore sitim.
 13 Utere me : multos tibi servio totus in usus ;
 14 ipse tui cordis mi satis usus erit.

DE EODEM

P4_10 v.1 Flos ego sum florum ; decorat me gratia floris,
 2 et de me flores quo decorentur habent.
 3 Me genuit Genitor pulchrum pulcherrimus ; addit,
 4 Virgineo Genetrix non sine flore, decus.
 5 Particulas decoris sparsas per pulchra laborat
 6 quaerere cur vanus sollicitusque labor ?
 7 In me quaere decus summum simul ; absque labore
 8 invenies quantum Gratia summa tulit.

DE EODEM

P4_11 v.1 Fulmina deposui ; pueri Puer induo vultus ;
 2 lilia frons praefert fronsque benigna rosas.
 3 Labra rubent ostro, fulvo coma fulgurat auro :
 4 astra oculi superant ; gemmea dona genae.

5 Quid venisse times ? Blanditur forma decore,
6 et latus, et fulvis gratia fusa comis.
7 Immemor irati persisto fulminis Infans,
8 ad sacra submittens oscula, reddo genas.

IN EFFIGIEM PUERI IESU PASSIONIS ARGUMENTA GESTANTIS.

P4_12 v.1 Bella mihi est facies, frons est bellissima : summi
2 archetypum facies bella decoris habet.
3 Hanc faciem, hanc frontem pro te mihi perdere certum est,
4 utque velim, dulcis perdere cogit amor.
5 Aspera quam poenis mors sit subeunda cruentis
6 instrumenta docent mortis acerba meae,
7 hactenus occultae poenae sub corde latebant,
8 nunc patet exitii tristis imago mei.
9 Vota per immanes clarescunt ultima poenas ;
10 accrescent poenae per mea vota meae.

IN EFFIGIEM PUERI IESU IN CRUCE POSITI.

P4_13 v.1 Quid facis in duro, Puer o mitissime, ligno ?
2 Non facit ad cunas aspera sponda tuas.
3 Sic ego. De ligno mihi talia reddidit Infans ;
4 "Expectare crucis funera, longa mora est.
5 Praecurro mortem, ligno porrectus in isto :
6 praelibo mortis tristitia damna meae."

DE EODEM.

P4_14 v.1 Aethera disrupto, descendo promptus in orbem ;
2 lectaque de mundo crux mihi sola placet.
3 Utque meos homini monstrem dilectus amores,
4 non mors una mihi, mors numerosa placet.
5 Virgineo e gremio fugiens, cruce volvor ; acerba
6 in cruce, non uno funere, disco mori.

DE EODEM.

HAEC REQUIES MEA. PSAL 131.

P4_15 v.1 Non mihi dant cunae, non brachia blanda quietem ;
2 Crux mihi sola meae causa quietis adest,
3 editus in poenas, poenis delector acerbis :
4 lux mihi dat poenas prima, suprema dabit,
5 Dulce mihi est poenas inter requiescere : poenis
6 sint male vincta suis, libera corda meis.
7 Haec mihi summa quies, si det mea poena quietem,
8 queis grave vix requiem crimen habere sinit.

DE EODEM.

P4_16 v.1 Supposita est nostro quamvis crux aspera tergo,
2 stratus delicias hic ego carpo meas,
3 Crux mihi dat vitam ; funus mihi reddet acerbum

4 de ligno quisquis tollere nisus erit.
 5 Orbem instauramus pereuntem ex arbore : ligno
 6 aptius officio nil valet esse meo.
 7 In cruce mactabor : vivo cruce. Tollar ab ara
 8 cum cruce placatus sit Pater ille mea,

DE EODEM.

SPES MEA AB UBERIBUS MATRIS MEAE. PSAL 2I.

P4_17 v.1 Quod cruce sustineo modicum puto prodigus ; ardet
 2 pectoris exigui grandia flamma pati.
 3 Vita ingrata foret, quamvis foret aspera, mortis
 4 Crux nisi supremæ spes mihi certa foret.
 5 In cruce lacrimulæ sint pignora certa cruoris ;
 6 in cruce diluvium mors violenta dabit,

IN EFFIGIEM BAPTISTAE PUERUM IESUM IN CRUCE INTUENTIS.

P4_18 v.1 Vestitur poenis vates asperrimus, olli
 2 poena gravis potus poenæ dura cibus :
 3 in cruce pro cunis tenerum dum spectat Iesum,
 4 erubuit poenas protinus ante suas,
 5 obstupuit ; tandem, post longa silentia, dixit,
 6 infantis teneri dum cadit ante crucem :
 7 "In cruce pro cunis qui talia sustinet Agnus,
 8 tollere de mundo crimina jure potest."

IN TABELLAM,

IN QUA ERAT EFFIGIES PUERI IESU, VIRGINIS AUGUSTISSIMAE,
SANCTISSIMI JOSEPH, ET PUERI BAPTISTAE.

P4_19 v.1 Pax est ; bella movent affectibus ignea : certant
 2 infantes Gemini, regia Virgo, Senex.
 3 Dulce genus pugnae : pugnant sine sanguine, plagas
 4 absque manu faciunt, absque dolore ferunt.
 5 Proque arcu pia corda gerunt : pro cuspe acuta
 6 lilia virginei blanda pudoris habent.
 7 Bella Puer, Puer ille Deus, graviora capessit
 8 et patet in vulnus totus et arma movet,
 9 Bella movet pectus, flavens coma, lactea cervix :
 10 labra, genae, facies, lumina, bella movent,
 11 denique lacrimulæ gemino quæ lumine gemmant,
 12 vulnera non solitis dant generosa modis.
 13 Mollius hac pugna nihil est, nil fortius illa :
 14 vulnus ubi intacto corda Tonantis habent,

IN EAMDEM EFFIGIEM.

P4_20 v.1 Plena est insidiis, plena est pictura rapinis
 2 perque oculos animis insidiatur amor,
 3 Virgo, Senex geminusque puer rapiuntque feruntque :
 4 felices oculi qui potuere capi !

5 Non aurum rapitur, non gemmea dona ; rapinae
6 prima oculi fuerint praeda, secunda cor est.

IN EAMDEM.

P4_21 v.1 Mira per augustas loquitur pictura figuras,
2 quae fecere olim Numina muta docet.
3 Exanimes animat mentes sine munere vitae ;
4 mobile nil retinens, intima corda movet.
5 Igne carent formae, faciuntque ignescere mentes :
6 luminibus praestant lumina, luce carent.
7 Ille senex quantum mutus docet ? Aurea Virgo
8 et mundum et superos, ore silente, docet,
9 Et puer hic digito quantum monet indice ! et ille,
10 quantum, cordato dum tacet ore, sapit.
11 Ergo, cole effigies Divum, queis viva colore
12 membra dedit pictor, vita tacendo loqui,

AD EAMDEM.

P4_22 v.1 Non alia nostrum pingatur imagine pectus
2 quam quae nunc oculos pascit amica meos.
3 Olli pro tabulis praecordia porrigo : fulvum
4 non aurum aut gemmas aut adamanta paro.
5 Non ego ad assuetas vertam mea lumina formas,
6 mors quibus immites injicit atra manus.
7 Declinare nefas oculos ab imagine, visu
8 quae movet affectus visa sacratque meos.
9 Cetera dum specto, facio dispendia : caelo
10 in spatio possum si brevior frui.

IN EAMDEM.

P4_23 v.1 Pasco oculos, pasco ingenium : pia pectora pasco
2 cum visa est oculis mira tabella meis.
3 Terrarum et mundi segura obliviam poto,
4 qualia Lethaeis esse feruntur aquis,
5 Virginis ora, Senis geminique infantis, in alto
6 pectore felici pollice pingit amor.
7 Tunc mens ambrosia, tunc nectare pectus inundat :
8 quaeque madent lacrimis lumina nectar habent.
9 Tolle, Pater, mensas qui das convivia divis :
10 haec mihi pro caelo picta tabella placet.

IN EAMDEM.

P4_24 v.1 Pictura aeterni demissa e sede Tonantis,
2 intima quae solvis corda, soluta rapis :
3 quae nova Smyrna tuas tollat, quae Mantua laudes ?
4 Dircaeus vitreas quis prope cycnus aquas ?
5 Dum senis adspicio cycnaea beatior ora,
6 et consanguineum virgineumque decus,
7 laeta mihi subito facies aperitur Olympi
8 et venit ante oculos gloria summa meos,

9 deficit ingenium subito ; mens fessa fatiscit
 10 meque amor in laudes fertque refertque tuas.
 11 Cum te non video, fugiunt oculique animique ;
 12 cum video vires, lingua manusque fugit.

IN EAMDEM.

P4_25 v.1 Quattuor in formas ingens se gratia fundit :
 2 Phoenice Assyrio, credite, rara magis.
 3 Aurea caesaries puerorum et Virginis ora,
 4 majestas cani tam reverenda Senis :
 5 candor et ardentis sacra purpura fusa per artus,
 6 quod per colla nitens lactea lucet ebur :
 7 pulchrior humana facies et spiritus ardens,
 8 qui levat attollens ima, suprema premit ;
 9 lumina quae frangunt adamantina pectora : noctem
 10 quae radiis clarant et sine sole diem :
 11 nectar et ambrosiam spirantia dulciter ora
 12 omniaque aetherea dona opulenta domus ;
 13 mutavere meos tacita dulcedine sensus
 14 postquam oculos rapuit visa tabella meos.
 15 Currite, mortales ! rara est medicina brevisque
 16 quae levat aspectu tabida corda suo.

AD EAMDEM.

P4_26 v.1 Virginis effigies et terris major imago
 2 Infantis gemini, dulcis imago Senis :
 3 quam rapis una oculos oculosque arcana sequuntur
 4 viscera ! Quam multis me ferit unus amor !
 5 Vulnera non timeo, committo pectus amoris :
 6 bandus amor duras non habet ille manus :
 7 vulneribus blanditur amor, dum vulnera figit ;
 8 nec tam blanda manus vulnera dura facit.

IN EAMDEM.

P4_27 v.1 Ars, elementa, polus, divum fingendo figuras,
 2 certatim vires hic posuere suas.
 3 Quidquid habet summum tellus et quidquid Olympus,
 4 servat Apellaeo viva colore manus,
 5 immortale decus spectat natura doletque
 6 ingenii tantum non opus esse sui.

DE EADEM AD VIRGINEM.

P4_28 v.1 Laetitiae geminae causa est tibi, Virgo, vel Infans
 2 quem geris, aut infans quem tua dextra fovet.
 3 Iste quod instaurat facie pulcherrimus orbem,
 4 iste quod exemplo saecula prisca novat.
 5 Iste quod efficiet miracula mirus ; at ille
 6 quod sine prodigiis prodigiosus erit ;
 7 iste quod est Agnus natura mitis, at Agni
 8 ille quod ostendit praescius ora tui,

9 ambo se norunt pueri genetricis ab alvo,
10 noverunt nati Virginis ambo manus.

DE EADEM AD SANCTISSIMUM IOSEPH.

P4_29 v.1 Pingit olorinis, Senior, quem crinibus aetas,
2 Divum amor, et superi gloria prima chori :
3 sive tibi conjux, gemini seu forma puelli
4 spectatur, rapiunt illa vel illa senem.
5 Inter aquas, qualis gemini tibi copia fontis,
6 tergeminas qualis gratia monstrat opes !
7 Quod tibi sol geminus fundit jubar ! Aurea flammis
8 quas tibi formoso sidere luna dabit !
9 Quantum gemmarum totum mare ! Flumina quantum
10 plura voluptatum cordis in ima ferem !
11 Nulli plus licuit tibi quam, clarissime divum :
12 hoc gemini infantes, hoc sacra Virgo docet.
13 Delicias aliis dederit : blanditur amore
14 plus tibi qui teneras dat modo primitias.

IN TABELLAM PUERI IESU CUM JOANNE BAPTISTA.

P4_30 v.1 Qui mihi prae cunctis mortalibus unus adhaesit
2 infans, ille latus stat prope jure meum,
3 Felix dextra fuit, gratus labor illius artis,
4 tam prope delicias quae facit esse meas,
5 Ille mihi caelum referebat et agmina divum :
6 totius in terris aetheris instar erat,
7 vultus ab alterutro si quando abscesserat alter,
8 alter in alterius, credite, corde fuit,
9 corpore diviso visa est mens unica, nostra
10 plus anima vixit quam Puer ipse sua.
11 Ne procul a nobis esset post funus acerbum,
12 purpurea meruit non procul esse nece.

DE EODEM BAPTISTA.

P4_31 v.1 Qui consanguineo mea pectora junxit Iesu,
2 agnovit latebras pectoris ille mei.
3 Illius alloquio gelida sub rupe fruebar,
4 Jordanis liquida qua fluit amnis aqua.
5 Illius aspectu spectantia lumina pavi,
6 ardua qui vultu territata astra suo.
7 Pressimus ambo toros : ad mensam sedimus ambo :
8 tam prope junctus eram, quam prope charta refert.
9 Defuit hoc unum pictura dulce ; quod ipse
10 illius hospes eram pectoris : ille mei.

IN EFFIGIEM PUERI IESU, ET BAPTISTAE EPULANTIUM.

P4_32 v.1 Propter convivam socium laetatur Iesus,
2 propter convivam rustica mensa placet.
3 Propter convivam socius laetatur Iesum,
4 propter convivam plus data mensa juvat.

5 Plustamen alterutrum praesentia pascit ; amoris
6 in mensa ex oculis dulcius esca sapit.

DE EADEM MENSA.

P4_33 v.1 Cum socio peragit convivia dulcis Iesus,
2 mensa inspectores pascit amica suos.
3 Tam non visa prius miracula patrat uterque,
4 quam fert mensa suas prodigiosa dapes.
5 Qui volet esse satur convivia spectet : abibit
6 et sine pane fames : et sine fonte sitis.

DE EADEM MENSA : ET BAPTISTA LAC BIBENTE.

P4_34 v.1 Praecursor tenero tener hoc dicebat Iesu,
2 hic ubi tam teneros mensa habet una duos :
3 hoc me dulcis amor fecit dulcescere ; labris
4 hac, ubi contigeris, dulcius ipse bibam.
5 Hoc, ubi purpureis libaveris ipse labellis,
6 lac mihi deliciae, lac mihi nectar erit.
7 Alternant potus : dulcescunt pocula ; cordis
8 plus bibit alterni pocula dulcis amor.

IN TABELLAM IN QUA PUERI IESUS, ET BAPTISTA INVICEM AMPLEXANTUR.

P4_35 v.1 Monstrat hic amplexus generosi foedus amoris :
2 secula non similem, non habuere parem.
3 Quid faciant animi monstrant sacra brachia : nexus
4 qui rumpi nequeant, nectit uterque puer.
5 Est infirma manus, sunt brachia blanda duorum,
6 quae plus Centimano colla gigante ligant,
7 culmen uterque puer divini monstrat amoris :
8 tam duo se pure, tam violenter amant.
9 Alter ob alterius fidum morietur amorem :
10 hanc sibi promittunt brachia nexa fidem.

IN EFFIGIEM VIRGINIS MATRIS, ET PUERI EX SERICO CONCINATAM.

P4_36 v.1 Virginis ingenium facies bombycina monstrat,
2 ingenium Pueri serica forma docet.
3 Bombyce in molli praecordia blanda relucet
4 quae Puer hic blandus, quae pia Mater habet,
5 Fidite, concedent veniam Genetrixque Puerque :
6 ore Puer blando spondet et ore Parens.
7 Bombyce e molli faciem qui finxit utramque
8 "Utraque sunt, dixit, mollia corda : veni."

IN EFFIGIEM VIRGINIS ET PUERI EX AURO.

P4_37 v.1 Matris et Infantis facies internitet auro,
2 nobilis artificis quam bene dextra facit,
3 Non potuit facies, auro nisi, tanta parari :
4 aureus est Infans, aurea Virgo Parens.

5 Aureus est Infans ditat qui sidera, Mater
 6 aurea divitiis quae beat astra suis,
 7 De vultu agnosco faciles ad munera dextras,
 8 bella Parens spondet plurima, plura Puer.
 9 Utiliter certant mortalibus ambo, sed Infans
 10 vincet purpureo cum dabit imbre necem.

IN EFFIGIEM VIRGINIS ET PUERI IN GREMIO DORMIENTIS.

P4_38 v.1 Est sopor Infantis teneri mirabilis : intra
 2 pectora divinae mira Parentis agit.
 3 Fulminat horrendum flavens coma, fulminat oris
 4 ratia : purpureo fulminat igne color.
 5 Fulminis instar habent in corda Parentis ocelli,
 6 et quae plus Tyrio murice labra rubent.
 7 Et decor et facies et eburnea colla nitorque
 8 sollicitant Matris pectora mille modis.
 9 Prodigiousa parens, portenta ingentia cernis
 10 quae Puer in gremio prodigiosus agit.
 11 Prodigium est dulces in bella lacescere somnos,
 12 et dare sopitas vulnera mille manus,

IN EAMDEM EFFIGIEM.

P4_39 v.1 Dum Puer hic, Virgo, blanda inter brachia dormit,
 2 igneus in somno non tibi dormit amor.
 3 Est vigil iste sopor : vigilans tibi dormit in ulnis,
 4 suscitet excubias ut sopor ipse tuas.
 5 Argumenta tibi quam flammea praebet amoris !
 6 Dormit, et effectus evigilantis habet.
 7 Infantis percurrere oculis sacra membra genasque
 8 ora, manus, frontem, lumina, labra, comas :
 9 videris ut mirans tot in uno flore colores,
 10 quot ver purpureum, verna quot aura creat,
 11 quotque nitent mire gemma in Gangetide. Quotque
 12 alba refert rubro baca reperta salo,
 13 Elysiae referunt quot prima rosaria silvae,
 14 quot sacer artificii pollice pingit amor,
 15 tunc experta animis miranda incendia, dices :
 16 excubat in flammis quam sopor iste meas !

IN EAMDEM.

P4_40 v.1 In Pueri somno tam, Virgo, immota quiescis,
 2 ac veluti Pueri capta sopore fores.
 3 Accipio agnoscoque sacri miracula somni,
 4 una quies animos mulcet amica duos.
 5 Virginis hinc captos non est abducere sensus :
 6 sic tenet adstrictum dulce cor alta quies.
 7 Respice, Virgo, rosas et lilia sparsa vel aurum,
 8 sidereos circum respice, Virgo, choros.
 9 Nec volo, ne motos possum hinc avertere sensus,
 10 pulchrior Infantis vim mihi forma facit.
 11 Vilescunt animo terrestria ; ditia caeli
 12 nec plus quam teneo jam mihi regna dabunt.

IN EAMDEM.

P4_41 v.1 Majestas se quanta aperit tibi pectore in uno !
 2 Plus quam habeat caelum, regia Virgo, vides.
 3 Inspicias quantum puerili in pectore, monstras
 4 dum tam immota sacro lumine, Virgo, manes.
 5 Quae rapit attonitum mira dulcedine caelum,
 6 abripuit sensus cognita forma tuos.
 7 Si minus in somnos Pueri suspensa fuisses,
 8 in Puero adspiceres Numinis esse minus.

IN EAMDEM.

P4_42 v.1 In Puero de te quantum, Regina, tueris !
 2 Qui Patris est splendor Natus, imago tua est.
 3 Aurea caesaries de te flavescit in aurum,
 4 membraque virgineus per sacra ludit honor.
 5 Quae nitet in facie de te mixtura colorum est,
 6 quos rosa, quos flores quosque pyropus habet.
 7 Purpura fusa genis roseisque inspersa labellis,
 8 de te Puniceo murice picta rubet.
 9 Virgo fidem mirare tuam, mirare pudorem,
 10 de te tam pulchrum quae retulere Deum.

IN EAMDEM.

P4_43 v.1 Evigilas super Infantem, pia Mater, et Infans
 2 dormit et excubias pro Genetrice facit.
 3 Respicias in vultus qui saecula fronte serenant :
 4 ora vides, summo jura datura polo.
 5 Quot portentifico miracula cernis in Agno,
 6 perque oculos, sacras perque patranda manus !
 7 Dulce latus spectas pretium quod nobile fundet,
 8 quod redimit mundum, quod lavit omne nefas.
 9 Auferet exuvias Puer e Phlegetonte receptas :
 10 illius exuviis dives Olympus erit.
 11 Quae Puer hic peraget, tacita quae mente volutas :
 12 omnia de gremio credimus orta tuo.

IN EAMDEM.

P4_44 v.1 Dum Pueri spectas dulces, Regina, sopores,
 2 quam tibi de Pueri blanda quiete quies !
 3 Dulce latus spectas, sacra lumina, verticis aurum
 4 oraque cum geminis deliciosa genis.
 5 Despicias in geminas et singula membra sagittas :
 6 est pharetra, est totus dulcis arundo Puer,
 7 Quis Pueri clauses saevire putaret ocellos ?
 8 Hinc majora Parens vulnera mentis habet.
 9 Dulciter Infantis feriendo sanat ocellus :
 10 ni feriat blandus durus ocellus erit.

IN EAMDEM.

P4_45 v.1 Numquam blanda magis vidi certamina belli,
 2 excubiae quod agunt, quod sopor altus agit.
 3 Lumina sunt arcus, plenae sunt corda pharetrae :
 4 pro jaculis radios clausus ocellus habet.
 5 Bella quid efficiunt ? Per bella novantur amores.
 6 Quis modus in dulci Marte ? Carere modo.
 7 Bella Parens Natusque ineunt : quae meta duello ?
 8 Mutuae in alterutrum, quae pietatis erit.

IN EAMDEM.

P4_46 v.1 Quid facit iste ? Ferit pia corda Parentis ocellis.
 2 Quid Genetrix ? Pueri corda tenella ferit.
 3 Blanda gerunt oculi certamina ; blanda lacesunt
 4 bella oculis ambo dulcibus, absque manu.
 5 Luminibus clausis qui sic jaculatur aberrat ?
 6 Numquam tam certus spicula misit Amor.

IN EAMDEM.

P4_47 v.1 Plena voluptatis peragit Puer otia : dulcis
 2 dulcia deliciis otia Mater agit.
 3 Quam tenere afficitur, teneri ad spectacula somni !
 4 Quam tener in molli pectore sensus inest !
 5 Alliget Infantis quamvis placidissima sensus
 6 Virgo, quies : sensus plus ligat ille tuos,
 7 una quies ambos, unus sopor irrigat ambos :
 8 discrimenque ingens inter utrumque manet,
 9 plus agit hic Infans, qui plus dormire videtur :
 10 dormit. Et ipsa minus sic agit alma Parens,

IN EAMDEM.

P4_48 v.1 Somnum alium cernit Genetrix sub imagine somni,
 2 dum Pueri claudit lumina fessa sopor.
 3 Hunc facit alta quies ; illum crux aspera : dulcis
 4 somnus hic ambobus : durior alter erit.
 5 Gaudia Matris habet sopor hic et gaudia Nati :
 6 ille necem Pueri, funera Matris habet.
 7 Heu ! tibi quam timeo, Virgo, incrementa soporis,
 8 quae te funesta plus nece dura manent !
 9 Ut vivam adspicias est viva Infantis imago :
 10 effigies Nati sic morientis erit.

IN EAMDEM.

P4_49 v.1 Pro mundo, in Natum Genetrix intenta, precatur :
 2 pro natis, Nato supplicat illa suo.
 3 Dum rogat, Infantis visa est ignescere somno,
 4 plus facit ardentes, qui tener, esse preces.

5 Tunc ait ipse Puer : "Genetrix, manescimus ; iras
6 deposuisse graves me docet iste sopor.
7 Iratum expugnat, Genetrix, tua gratia ; viso
8 quis tam mansueto pectore durus erit ?"

IN EAMDEM.

P4_50 v.1 Plectere constitui sontes : pro sontibus oras,
2 o Genetrix, manibus fulmina lapsa cadunt,
3 dissimulare docet me crimina somnus, et absque
4 fulminibus dulci victa sopore manus.
5 Est opus ut dulci mitescam munere : miti
6 ingenio, videar Natus ut esse tuus.
7 Tam tenerae fetum quis me putet esse columbae,
8 Virgo, columbinum si mihi pectus abest ?

IN EAMDEM.

P4_51 v.1 Infans laesus erat : veteri mansuescit ab ira,
2 utque hic mansuescat, cogit amica Parens,
3 Excubiae Genetricis agunt mansuescere : mitem
4 significat blando blanda sopore quies.
5 Non alio in gremio laesus mitesceret Infans :
6 non alia iratum quae domuisset erat.

IN EAMDEM.

P4_52 v.1 In mea lucra Puer placidis dormitat ocellis ;
2 in quaestus Genetrix sat vigil alma meos.
3 Excubiae et somnus dant pignora certa salutis,
4 quam dabit ipse Puer, quam dabit ipse Parens.
5 Ut mea dissimulet tener Infans crimina, dormit :
6 pro venia Genetrix excubat ecce mea,

IN TABELLAM IN QUA ERAT DEPICTUS PUER IESUS.

P4_53 v.1 Belle Puer, forma totum praedabere mundum :
2 praedata est sensus haec tua forma meos.
3 Labra rosas referunt, frons lilia, lumina gemmas,
4 caesaries aurum, lactea colla nives,
5 Indum pectus ebur, Tyrio quod tingitur ostro :
6 Mora supercilium, mellea lingua favos.
7 Os, oculi, facies teneros jaculantur amores,
8 nil nisi delicias, nil nisi dulce sapis.
9 Quem scelerum facies, quem dira piacula terrent,
10 quem sua mens foedis terret imaginibus,
11 acceleret, poscat ; veniam properanter habebit.
12 Nil negat invitans ad sua dona Puer.
13 Nil est quod timeat : Pueri indulgentia vincit
14 foeda gravis quidquid facta timoris habent.
15 Dura quibus quondam feriebat corda nocentum
16 spicula, corripuit gratia, adussit amor,
17 Non tam blanda graves infantia parturit iras,
18 parturiat quamvis, postmodo mitis erit,

19 Tam tenera infestos si dextera fulminet ignes,
20 cum feriet, blandi vulnus amoris erit.

IN EAMDEM PUERI FORMAM

P4_54 v.1 Bella supercilio movet ignea : pugnat ocellis
2 qui Puer in nudo corpore corda ferit.
3 Exarmatus habet quos non armatus haberet ;
4 plus ferit in vulnus quo magis ipse patet.
5 Ferrum mitte, Infans, e aenea castra relinque ;
6 plus face, plus castris frons tua nuda facit.

IN EAMDEM.

P4_55 v.1 Flos de flore Puer, reddit quem gemmea florem
2 gratia, quem fructus spes, decus, ortus, odor :
3 rore pio vernas oculorum, ignescis ab imbre,
4 et tener affectus te legit atque fovet.
5 Quale nitent flores et pulchra rosaria, campos
6 quale per Elysios lilia, tale nites,
7 Te fruimur tenere, tenere te porrigis idem :
8 quoque magis tener es, plus violenter agis.
9 Expugnanda armis sunt corpora fortibus ; isto
10 corda expugnari non nisi flore placet.

IN EFFIGIEM PUERI IESU PASTORIS.

P4_56 v.1 O pastor, teneros tenere quam diligis agnos,
2 tam tener in duris quos modo quaeris agris !
3 Ah ! tibi ne noceat timeo flamma ignea solis :
4 ah ! te ne duro frigore laedat hiems.
5 Sanguinolenta tibi timeo quam monstra ferarum !
6 Quam timeo immanes in tua damna lupos !
7 Te tibi plus timeo, pecudes dum per juga quaeris :
8 Te tibi plus timeo dum violenter amas.

RESPONSIO TENERI PASTORIS.

P4_57 v.1 Finieram ; tenero respondit murmure Pastor,
2 devius errantem quem facit error ovis.
3 "Non mihi me timeas, qui pastor ovilia servo :
4 est cui certa salus pro grege posse mori.
5 Non fugio mortem : letum mihi dulce laccio :
6 pro grege mors gravior non subiisse necem.
7 Quod vincam quaero gravior mihi funere ; non est
8 omnia qui nescit vincere, verus amor."

IN TABELLAM IN QUA PUER IESUS CARDUELEM VINCLIS LIGATUM PRAEFEREBAT.

P4_58 v.1 "Me, Puer, assuetam liquidas volitare per auras,
2 quid teneram dura compede prendis avem ?
3 Nunc aliae insudans nidis et in arbore sidunt :
4 ingeminant dulces et sine fine sonos.

5 Sola ego purpureis teneor religata catenis
 6 nec libertatis condicione fruor."
 7 Ingratis tandem, volucris, jam parce querelis ;
 8 qua frueris, nullae sorte fruuntur aves.
 9 Non ita currebas, librata per aerea pennis,
 10 quam modo cum religant lanea vincla pedes.
 11 Te Puer auratis manibus dum prendit Iesus,
 12 non poteris caelo liberiore frui.

IN TABELLAM IN QUA PUER IESUS CRUCEM, IN MODUM CITHARAE CLAVIS,
 ET CHORDIS APTATAM PULSABAT, CUM ELOQUIO.
 'CANTABILES MIHI ERANT JUSTIFICATIONES TUAE.' PSAL. 118.

P4_59 v.1 Qui tener arguta citharam modo pollice pulsat,
 2 Multum equidem forma, plus tamen ore placet.
 3 Vox non una sonat, sed habent sua murmura clavi
 4 reddit et insuetos dura corona sonos.
 5 Pro ! Quam vocalis crux est et cetera cantus
 6 instrumenta, Puer quae facit esse sui !
 7 Musica crux : Pueri resonantia fletibus ora
 8 et clavi et chordae pondera vocis habent.
 9 Dum Puer illacrimat, capiuntur Numina : flerent
 10 si fas caelicolis collacrimare foret.
 11 Audierit quamvis caelestia nabilia, numquam
 12 audiit assimiles his Pater ipse modos,
 13 deficit ipse sui captus dulcedine cantus
 14 atque ut deficient cetera voce facit.
 15 Cum canet extremum, cygnorum more, canendo
 16 vocis ad extremae murmura, cuncta trahet.

IN EFFIGIEM AUGUSTISSIMAE VIRGINIS.

P4_60 v.1 Ora quid inspectas roseos superantia flores ?
 2 Fsparsaque virgineis lactea colla comis ?
 3 Si rapit attonitum facies depicta nitorque,
 4 quod latet eximium, quid decus intus aget ?
 5 Qui potuit Natus Matrem sibi fingere, formae
 6 prodigium fecit Matris ut ora forent.

IN EAMDEM.

P4_61 v.1 Virginis o ingens, augustaque Matris imago,
 2 quam polus attollit pronus, adorat humus,
 3 Tu mihi vitali spirante Favonius aura :
 4 Tu desideriiis flamma relicta meis.
 5 Dum labat, et turbat dubius, sacra ancora, mundus :
 6 aequoreas inter, stella salutis, aquas.
 7 Si grave sic picta solaris imagine pectus,
 8 delicias, Virgo, quas mihi visa dabis ?
 9 Matris ut absentis solacia mundus haberet,
 10 facta est artificii Matris imago manu.
 11 Sic oculos, sic illa manus, sic ora ferebat :
 12 sed minor archetypo facta figura suo est.
 13 Si qualis, si quanta solet se prodere caelo,
 14 visibus humanis se daret alma Parens :
 15 mortales visus hebetarent lumina ; visus

16 caligante oculo, cerneret iste minus.
 17 Pulchra minus voluit Divum Regina videri
 18 quo staret natis conspicienda suis.

IN EAMDEM.

P4_62 v.1 Totus in effigie sacra monstratur Olympus,
 2 dulcius hac non est, quidquid Olympus hahet.
 3 Quanta supercilii clementia ! quanta benigni
 4 oris ! Et in dulci pectore quantus amor !
 5 Aurea forma sacros mortalibus afflat amores :
 6 delicias spirat deliciosa Parens.
 7 Nil nisi maternum praefert sacra Matris imago :
 8 et matronales nil nisi mella genae.
 9 Consultum est mundo, Genitrix cui reddita Virgo est,
 10 mitiget ut natis Numina laesa suis.
 11 Ut qui suppliciis, qui majestate Tonantis
 12 terretur, Matris possit adire sinus.

IN EAMDEM.

P4_63 v.1 Bella magis facies non est, quae monstrat Olympum,
 2 delicias divum quae mihi sola refert.
 3 Omne decus vincis, majori, Virgo, decore :
 4 non sunt ante oculos lilia pulchra tuos.
 5 Sis tam bella licet, caeli Regina : reorum
 6 ad veniam blandae plus pietatis habes.
 7 Virginis ignorat pietatem, et viscera, quisquis
 8 desperat veniam, te sibi Matre dari.
 9 Sis tam pulchra licet, sis tam formosa, videri
 10 pulchrior augusta de Pietate cupis.

IN EAMDEM.

P4_64 v.1 In te purpurei sese transcribere veris
 2 gloria conspicitur florea, Virgo Parens.
 3 Fronte super nivea, per eburnea colla genasque,
 4 vernat honos florum, gemmea prata, rosae.
 5 Daedala sic pingit, sic te natura colorat,
 6 ingenii ut summas prodiga monstret opes.
 7 Ostendunt teneri florum miracula vultus,
 8 deliciasque, animus quas sacer intus habet.
 9 Aspera promerui : spero sed mollia : Matris
 10 non inter vepres, floreus haeret amor.

IN EFFIGIEM VIRGINIS EUCHARISTIAM A IOANNE EUANGELISTA CAPIENTIS.

P4_65 v.1 Quem mihi das peperit Virgo sine labe sub antro,
 2 quosque intrat, novit pectoris ille sinus.
 3 Qui modo triticei celatur imagine panis,
 4 cum peperit in stabulo, corpore nudus erat.

5 His epulis exul, patriae solabor amores ;
6 his praesens Nato, sim licet exul, ero.

IN EFFIGIEM AUGUSTISSIMAE VIRGINIS, IN SOLIO CUM PUERO SEDENTIS,
ANGELIS INTERIM SOLIUM OBSIDENTIBUS.

P4_66 v.1 Quid facit hic residens Regina ? Quid aureus Infans ?
2 In solio Genetrix, Matris at ille sinu ?
3 Grata mora est mundo Pueri Matrisque sedentis ;
4 ad veniam exspectat mitis uterque reum.
5 Quam celer ad veniam qui se prius obuius offert,
6 qui non accedit tam male tardus erit.

AD ANGELOS QUI SUNT IN BASI.

P4_67 v.1 Instrumenta soni geritis qui blanda canori,
2 parcite vocales sollicitare lyras.
3 Organaque aligeri percurrere parcite : cantus
4 qui placeat Puero dulcior alter erit.
5 Ora rei resonant lacrimaeque gravesque dolores :
6 dulcior hic Puero jam sonus esse solet.

AD EOSDEM ANGELOS.

P4_68 v.1 Ecquid inauratis superiorum exercitus alis
2 advenit ? Et nostro cernitur orbe polus ?
3 An ruit obsequiis Reginae intentus Olympus ?
4 An trahit ad nutus aethera Virgo suos ?
5 An, magis allecti bellae ad miracula formae
6 aligeri, superas deseruere domos ?
7 Quando revertentur delapsa examina caelo ?
8 Et celeri repetent astra relictata fuga ?
9 Infantis belli bellaeque Parentis imago
10 non sinit attonitos bella redire choros.
11 Ut satis Augusto satientur lumina visu,
12 exigit aeternas bella figura moras.

AD EOSDEM.

P4_69 v.1 Perdidit alarum superiorum exercitus usum
2 quem videt ante sacros gemmea Virgo pedes.
3 Munere funguntur spectandi lumina tantum
4 officiisque carent cetera membra suis.
5 Tenditis in caelum cur non pernicibus alis
6 aligeri ? Tanta quae tenuere morae ?
7 "Perdidimus celeres, referunt, non lumina, pennas :
8 Virginis hoc facies prodigiosa facit.
9 Quam celeres fecit veniendo forma volatus,
10 ad reditum lentos tam facit illa gradus.

IN EFFIGIEM SALVATORIS.

P4_70 v.1 Si non, Christe, fores toto notissimus orbe,

2 de specie posses cognitus esse tua.
 3 O quantum spondet pulchrae mihi gratia frontis,
 4 insidet in roseis quae generosa genis !
 5 Tantum, Christe, dabis quantum promittit imago :
 6 prodiga frons parcas non habet ista manus.
 7 Regia respondent pulchrae si munera formae,
 8 auctor eris munus, muneris ipse tui.
 9 Sanguinis effundes post mortem flumina, vitam
 10 ut pateat donis non satis esse tuis,

IN EFFIGIEM SALVATORIS FLAGELLATI ET SPINIS CORONATI.

P4_71 v.1 Squalentem barbam et concretos sanguine crines
 2 cerne : super laceras spinea sarta comas,
 3 Cerne : tot erumpunt per hiantia vulnera fontes,
 4 inflixit plagas quot mihi dura manus,
 5 ne remove maesta versos ab imagine vultus
 6 te propter, talem me tibi pinxit amor.
 7 Prodigus effundo tibi dulci e corde cruorem :
 8 tu saltem lacrimas pro nece redde tuas,

IN INGENIOSAM TABELLAM,
 IN QUA MIRO ARTIFICIO CHRISTI FLAGELLATI EFFIGIES,
 D. IOANNIS BAPTISTAE, DE D. FRANCISCI DIVERSO ASPECTU REDDEBATUR.

P4_72 v.1 Respice inassuetae spectacula rara tabellae,
 2 quam variat facies picta figura suas !
 3 Nunc monstrat Christum, qualem Romanus ab alto
 4 ostendit populis, gens male fida, tuis.
 5 Purpura tegmen habet ; distillant sanguine crines
 6 et niger in toto corpora livor inest.
 7 Nunc Franciscus inops pallentia digerit ora
 8 et mutat Tyrias vilis amictus opes,
 9 monstrat Praecursor tenerum non molliter Agnum,
 10 crimina qui fuso foeda cruore luet.
 11 Non minus est pictis manus ingeniosa figuris
 12 quam pia, tam varium dum bene fingit opus.
 13 De tabula in pectus referat mens lumina ; culpis
 14 quam male foedus eras, tam bene pulcher eris.

IN EFFIGIEM CHRISTI CRUCI AFFIXI EX EBORE.

P4_73 v.1 Effigies membris quae sacra effulget eburnis,
 2 effigies oculis plus mihi cara meis :
 3 pectoris ore nives et eburna insignia monstrat,
 4 quae gerit, horrenti quod cruce pendet, onus,
 5 Dum Patrem exorat pro se laedentibus, Indum
 6 vincere se monstrat candidus Agnus ebur.
 7 Sontibus ignoscit Pater exoratus, et inquit ;
 8 "Candorem in Nati pectore nosco meum."

IN EAMDEM EFFIGIEM.

P4_74 v.1 Te, Christe, effigies ostendit eburnea vivum :

2 quidquid in humano est corpore monstrat ebur.
 3 Articulos, venas, nervos, discrimina, nexus ;
 4 ora inter duras monstrat eburna neces.
 5 Quam natura parens decepta in imagine mira est !
 6 Artis opus mirae credidit esse suum,
 7 vocem exspectavit morientis : "Candida, dixit,
 8 ingenium prodent (vox sonet) ora meum."
 9 ars utinam extremi vocem expressisset amoris,
 10 vidisset miserum qualia monstra solum !
 11 Illius extrema, quae voce arsere favillae,
 12 si mutare hostes sic potuere suos,
 13 Quid facerent geminae cumulata incendia formae !
 14 Naturae est mirum, plus foret artis opus,

IN EFIGIEM CHRISTI CRUCIFIXI EX ALABASTRO.

P4_75 v.1 Ut video maesta cessere alabastra figurae,
 2 artificis fingit dum pius ora labor.
 3 Cum tua non maesta mollescant corda figura,
 4 mollior apparet quam tua corda lapis.

LIBER QUINTUS. DE CHRISTO PASSO.

(790 vers)

LACRYMAE PRO CHRISTO PATIENTE.

P5_1 v.1 Tristior oceani refugus sol mergitur undis :
 2 Musa leves calami sint tibi ; pone chelym.
 3 Pone chelym, refugus ponit tibi lumina Titan,
 4 et revocat maestum, nocte premente, diem.
 5 Perde chelym lacrimis : perdunt elementa tenorem :
 6 saxa dolent : trepidant astra, fatiscit humus.
 7 Perde chelym ploratibus : interruptaque luctu
 8 carmina ; dissociet tibia rauca modos.
 9 Perde chelym lamento : et carmine singultanti :
 10 caelum horret, pereunt gaudia, laeta gemunt :

11 nox venit atra, dies fugit horrida, pallida sordent
 12 sidera : foeda volant nubila, templa tremunt
 13 aurea : rupta cadunt sacraria, funera surgunt
 14 ossea, aperta patent clausa sepulchra : gravis
 15 vita perit, mors saeva rapit, lux perdita turbat,
 16 sordet honor : maerent Numina, Christus obit.
 17 Lugubris aeternos lacrimis trahe Musa dolores :
 18 tristia flebilibus concute plectra modis.
 19 Funde mihi planctus maestissima, funde liquores :
 20 funde per attonitas flumina larga genas.
 21 Una sit ingenii miseri mihi dira voluptas,
 22 solvar ut in luctus, te recinente, meos,
 23 ut plorem, et maestas faciam plorare papyros :
 24 singultu in misero, dum trahor ipsa sile.
 25 Sensibus aspiret, divumque hominumque voluptas :
 26 eia age, Christe, gravem da mihi flere necem.
 27 Sit mihi musa Parens, Nato vicina perempto :
 28 quae mare, quae fuis flumina vincit aquis.
 29 Quique cadaveribus, maestorumque ossibus albet
 30 mons, Heliconiaci verticis instar erit.
 31 Dulce latus, fluit unde cruor qui perluit orbem,
 32 sit pro Pegaseo fonte volantis equi.
 33 Hinc mea corda sacros sumant sitientia rores :
 34 inde mihi sacris ora rigentur aquis.

IN CENACULUM.

P5_2 v.1 In te, sacra domus, saeculorum in fine peracta est
 2 regia cena homini, regia cena Deo.
 3 Dat pretium cenae caelum, dat prodiga tellus :
 4 nil caelum majus, nil dare terra potest.
 5 Fit conviva cibus : dapibus datur integer Agnus :
 6 ipseque post epulas integer Agnus adest.
 7 Dulcis odor, mirae sacra inter limina cenae,
 8 spirat adhuc : dulcis corpora pascit odor.
 9 Par domus es caelo ; nam quae convivia caelum
 10 Caelicolis aperit, reddis operata tuis.

ET EGRESSUS IBAT SECUNDUM CONSUETUDINEM IN MONTEM OLIVARUM.
LUC.22.

P5_3 v.1 Ad prata verno flore recentia
 2 pastor trementi cum grege prodiit,
 3 nocturna dum terris reducit
 4 Luna graves rediens sopores.
 5 Norat cruentas carnificum manus,
 6 norat tremendae supplicium crucis :
 7 norat triumphalis tropaei
 8 morte sibi decus occupandum.
 9 Mox sponte mortem fertur in obviam,
 10 torrente sacra corda cupidine :
 11 quo meta plus vitae propinquat,
 12 igne magis recalent medullae.
 13 Miscetur alto pectore proelium
 14 insigne, rarum, nobile, regium :
 15 caelo redardescit vidente,

16 sanguineae nova forma pugnae.
 17 Inire pugnas spiritus incitat,
 18 Paterna poscit gloria : provocat
 19 vis mentis, humanique casus,
 20 aligerumque graves ruinae.
 21 Natura contra perstat, et abnuit
 22 adire crudae triste genus necis :
 23 vi, felle, loris, vepre, clavis,
 24 et gravibus tremefacta poenis.
 25 Inter duelli proelia maximi,
 26 vicit timores vis generosior :
 27 tormenta contemnit, dolores
 28 obsequio rapit imperantis.

AD CHRISTUM IN HORTO.

P5_4 v.1 Christe amor, extremas quidquid patiere per horas,
 2 in nemore umbroso mens tua maesta subit.
 3 Quidquid habent clavi, cuspis, crux, verbera, sentes,
 4 hortus in irrigua gramine pingit aquae.
 5 Ut redimas mundum, semel est satis esse peremptum :
 6 dulcis amor, geminas quid moriendo neces ?
 7 Ille, semel pro te non sat procumbere, dicit,
 8 te propter geminas, dulce, subire neces.
 9 Inter odoratos patiar prius omnia flores,
 10 ut doceam pro te quam mihi dulce mori.

AD CHRISTUM TIMENTEM.

P5_5 v.1 Fundamenta timent, queis totus nititur orbis :
 2 quid facient timidi, mollia corda, viri ?
 3 Utiliter mundo trepidant fundamina mundi :
 4 hic timor audaces efficit esse metus.
 5 Fundamenta tremunt dum sic nutantia, firmant
 6 quae super incumbunt, ne labefacta ruant.
 7 Credere quis posset, trepida formidine mundum
 8 tam trepidos, stabilem reddere posse, metus ?

AD EUMDEM.

P5_6 v.1 Objicitur trepidanti animo mors aspera, clavis
 2 vepribus, opprobriis, cuspide, felle, cruce.
 3 Mors animum terret crudelis imagine poenae :
 4 ante necem, durae fert mala dura necis.
 5 Causa animum mortis, plus quam mors saeva, fatigat :
 6 accelerant poenas crimina visa suas.
 7 Supplicii sum causa tui, mihi dulcis Iesu :
 8 seu videas poenas, seu patiare meas.

AD EUMDEM.

P5_7 v.1 Non video armatas in te fremere arma catervas,
 2 hostis abest saevus, jam tibi, Christe, times ?
 3 Castra supercilio qui ducis aenea, ductor

4 nobilis Heroum, funeris ora tremis ?
 5 Aethereas divorum acies regis horrida contra
 6 Tartara : Tartareos mergis in ima duces,
 7 illorum indomitos vicit patientia reges :
 8 restinxere avidos corpora nuda rogos.
 9 Subdita viderunt vestigia lambere tigres,
 10 strataque pacatis horrida monstra jubis :
 11 spernere ludus opes fuit, ardua ferre voluptas :
 12 dulceque delicias spernere, dulce mori :
 13 carnificum fregere minas, fregere Tyrannos,
 14 probra tulere, faces, verbera, vincla, cruces.
 15 Prodigium est, trepidum per te, vicisse timores :
 16 non sine consilio, dux animose, times.
 17 Amisere metum, te formidante, timores :
 18 humanus didicit non trepidare metus.
 19 Vi, face, ferro alii fera pectora fortiter arment,
 20 corda armare metu, laurea sola tua

DE EODEM.

P5_8 v.1 Horrida poenarum quem tantum exterret imago,
 2 quem turbant mortis damna probrosa suae,
 3 hic non tam poenas metuit, nec funera, quantum
 4 optat ut ingeminet mors repetita neces.
 5 Verbera, crux, vepres, fel, cuspis, arundo, columnae,
 6 monstrabunt poenas quam cupit ille suas.
 7 Ultima suscipiet laetus cum vulnera mortis,
 8 saepius, ostendet, se voluisse mori.

AD CHRISTUM ORANTEM.

P5_9 v.1 Quem Pater eructas fecundo e pectore Natum,
 2 terret mansuetae tristis imago necis.
 3 Ipse modus poenae, poena est immanior omni :
 4 mille alias veniens mors habet una neces.
 5 Spongia, sal, clavi, vepres, probra, cuspis, arundo,
 6 purpura, crux, plagae, lora, suprema sitis.
 7 Haec periment corpus longas divisa per horas,
 8 quae collecta modo plus perimunt animam.
 9 Scilicet, o Genitor, Natum haec tormenta lacesunt,
 10 a Nato transfer pocula dira tuo.
 11 Si nequit hoc fieri, non aversabor : acerbet
 12 mors vixax poenas, poenaeque viva neces.
 13 Hoc uno felix inter tormenta videbor,
 14 si nequeam poenas enumerare meas.

DE EODEM.

P5_10 v.1 Transferri exposcit Natus sua funera ; transfert
 2 non tamen a Nato funera dura Pater.
 3 Qui sinit in poenis Natum procumbere : Natus
 4 clarior ut surgat de nece victor, agit.
 5 Est magis insignis laurus post proelia : clarant
 6 plusque triumphales clara tropaea manus.
 7 Ut plus inveniat quod dulci in prole coronet,

8 ipse Pater Natum vult graviora pati.

IN PATREM, CUM FILIUM TRADERET.

P5_11 v.1 Muneribus certas ingratos vincere ; dantem
2 certabunt homines vincere duritie.
3 Pignora vulnificis quid cara leonibus offers !
4 Fiet inhumanis Filius esca feris ?
5 Viscera tradentur ferro rumpenda ? Jacebunt
6 munera per Solymas tam pretiosa vias ?
7 Foeda lupi rubra tingent vestigia caede,
8 et pretium mundi, sub pede sanguis erit ?
9 At genitor contra ; lacerent mea viscera ferro,
10 subjiciant pedibus, dum tamen accipiant.

FILIUS AD PATREM, CUM TRADERETUR.

P5_12 v.1 Ferrum, magne Pater, ferrum mihi dura minantur
2 agmina : sanguineas quam bene nosco manus !
3 Lignum horrendum immane, ingens, duramque columnam,
4 deque mea cerno caede rubere vias.
5 Sed mihi tot poenas, poenarum quanta cupido est,
6 o utinam Isacidum gens inimica paret !
7 Plus volo quam cupiunt, plus quam potuere : nec illi,
8 maximus in poenas nec satis orbis erit.
9 Durius illa animum poenarum extrema fatigat,
10 finiri poenas funere posse meas.

DE SUDORE CHRISTI SANGUINEO.

P5_13 v.1 Pectoris arcani monstrant tormenta liquores,
2 pro vitreo, roseus profluit imbre cruor.
3 Coxit amor flammis sudorem in pectore, et inquit :
4 "Non opus est ferro, membra cruentat amor."

DE EODEM.

P5_14 v.1 Candida membra rubent generoso sanguine : manat
2 sanguine caesaries, frons, coma, barba, genae.
3 Perque latus roseus, per eburnea colla, per artus
4 it cruor, in viridem decidit imber humum.
5 Dumque aperit vivos, manante in corpore, fontes
6 mille, sacrae caedis prodigus Agnus, ait :
7 "Per mea membra fluant, laceros mea dona per artus :
8 parcior est, cujus scit dare sola manus.
9 Prodigus ille animae, sit prodigus ille cruoris,
10 qui dando potuit tot reperire vias."

DE EODEM.

P5_15 v.1 Agnus ovans ferro Solymas mactandus ad aras,
2 qua sacer inspersione ossibus albet ager :
3 impatiens, morti dulci praeludit amore,

4 pro sudore rubens perluit ora cruor.
 5 Mors, et vita uno coeunt in pectore ; durat
 6 in longa, ut possit vivere vita, nece.
 7 Vita gravi morti vivaces commodat usus,
 8 mors queat ut vivo saepe in amore mori.

DE EODEM.

P5_16 v.1 Sanguine frons rorat, vultus, et eburnea cervix,
 2 rubraque per sacros decidit unda sinus.
 3 Hinc madet et sacro tepefactus sanguine campus,
 4 statque super virides ignea gutta comas.
 5 Ut rutilat supra virides rubra gemma smaragdos,
 6 alteraque alterius sumit ab igne decus.
 7 I, rape divitias, qui damna expertus in horto es ;
 8 hic tibi plus, rapuit quam prior, hortus habet.

IN SIMONEM DORMIENTEM.

P5_17 v.1 Carceris obscuri, Simon, sic itur ad umbras ?
 2 Sic ruis in certam promptus amansque necem ?
 3 Qui promisisti mortem impendisse Magistro,
 4 num fera mors oculis hic tibi somnus erat ?

IN IUDAM PRODITOREM.

P5_18 v.1 Proditur infelix divini sanguinis : idem
 2 sanguinis, atque animae proditor ante tuae :
 3 perniciose tibi peragis commercia mortem
 4 pro vitae pretio tu tibi, crude, paras.
 5 Proditor agnoscis si, quem male vendis, et audes,
 6 quam facis, impietas non habet ista parem.
 7 Si non agnoscis, melius sensere Tonantem
 8 bruta, homines, pecudes, Tartara, marmor, aquae.
 9 Ergo aliis vendens demis tibi, perfide, vita,
 10 tam male qui potuit vendere, jure caret.

IN EUMDEM.

P5_19 v.1 Proditor, augustae dulci quid pignore pacis
 2 in certam, vitam prodis inique, necem ?
 3 Proditor, heu ! vitam simulata per oscula tradis :
 4 bis malus es, facinus dissimulando tuum.
 5 Fons tibi fit vitae letalis ; dulcis Olympus
 6 unde fit, inde miser, triste fel ore trahis.
 7 Perfide, terribiles tua pax armatur in enses :
 8 oscula das Agno sanguinolenta, lupus.
 9 Quo magis ad vitam properas, plus vita recedit,
 10 et procul attactu distat, abitque tuo.
 11 Lancea, crux, clavi de corpore tacta sacrantur :
 12 tu peior tactu, peior et ore tuo es.

IN CHRISTI COMPREHENSORES.

P5_20 v.1 Insultare Agno video genus acre leonum,
 2 et fera punicea tingere rostra nece.
 3 Colla, manusque ambae duras subiere catenas :
 4 nodavere sacrum ferrea vincla latus.
 5 Nec bonitas, nec forma manus, nec sacra coercet
 6 majestas : pius est qui sine more ferit.
 7 Nobile, sacrilegi, pretium male perditis : omnis
 8 spes vobis, miseri, quo pereunte, perit.
 9 Quanta datur crudae vobis modo praeda catervae !
 10 Si doceat Pietas tam pretiosa, frui.
 11 O male felices, ignotae in munere praedae !
 12 O bene, si tantum cognita praeda foret.

AD CHRISTI FACIEM VELATAM.

P5_21 v.1 Vindice Justitia, faciem tibi tegmen obumbrat,
 2 Christe, luant poenas quo fera corda suas.
 3 Impia gens, saevo sibi longe immanior hoste,
 4 proh, sibi divinas quam male celat opes !
 5 Quod tegit augustos turpi velamine vultus,
 6 indignam aspectu se probat esse tuo.
 7 Sacra repercussos hebetat reverentia visus :
 8 ferre nequit tantum noxque nefas que diem.
 9 Neve remollescant blandi dulcedine vultus
 10 pectora, sacrilegi, Numinis ora tegunt.
 11 Praeveniunt poenas supremae mortis, et Orci ;
 12 privari aspectu maxima poena tuo est.

AD CHRISTUM SPRETUM AB HERODE.

P5_22 v.1 Christe, novas video poenis succedere poenas :
 2 regia ad Herodis limina restat iter.
 3 Regis ad imperium, Sapientia summa Tonantis
 4 luderis, albenti despicerisque toga.
 5 Candor es aeternae, rerum pulcherrime, lucis,
 6 convenit ingenio candida palla tuo.
 7 Albam qui praestat, si mens non laeva fuisset,
 8 servierat sacris veste ministeriis.
 9 Quod te non dederit, non est clementia, leto :
 10 rex ferox est, clemens ut videatur, agit.
 11 Prodigium est magnum (quid Rex miracula poscis ?)
 12 Herodem insontis parcere posse neci.

AD CHRISTUM VAPULANTEM.

P5_23 v.1 Lora sonant, loris lacerantur membra : recedit
 2 ille color niveus, purpura blanda subit.
 3 Quam furor hostis erat durus, tam dura fuere
 4 verbera : carnificum quam male dura manus.
 5 Omnibus es blandus tantum tibi durus, Iesu,
 6 cum tot pertuleris verbera, plura cupis.
 7 Verbera per dura haec, teneri monstrantur amores :
 8 quam bene per plagas mollia corda lego !

9 Plus mihi confusae declaravere liturae,
10 quam potuit vivo promere lingua sono.

AD CHRISTUM POST VERBERA.

P5_24 v.1 Aspera virgineum perararunt verbera corpus,
2 plurimus in lacero corpore sulcus iit.
3 Manarunt rupti venis stillantibus artus,
4 deformata oris forma dolentis adest.
5 Qualis eram talem aspicio te, dulcis Iesu :
6 corporis haec facies, mentis imago meae est.
7 Poenarum o speculum, quas crimina foeda merentur :
8 Christe, ora ex umbris sint mea ficta tuis.
9 Crux tam pulchra nitet, clavi, sacra sarta, columnae,
10 loraque, purpurea quod rubuere nece.
11 Imbuat hanc animam, deformiaque ora coloret
12 purpureus, venis qui fluit imbres, cruor.
13 Si tam pulchra nitent tam foedae opprobria mortis,
14 opprobrium mortis sim precor ipse tuae.

AD CHRISTUM VESTES RESUMENTEM POST VERBERA.

P5_25 v.1 Laetitia est suprema mihi spectare cruores :
2 gaudia, Christe, sacra cur mihi veste tegis ?
3 Talem te monstra, qualem vel gloria vestit,
4 vel qualem lacerum te mihi nudat amor.
5 Aut doleam quantum facies maestissima poscit,
6 aut laeter quantum gloria summa jubet.
7 Ordo sit hic ; luctu perimat me tristis imago,
8 tum beet aspectus forma beata tui.

DE SPINEA CORONA, ET PURPURA.

P5_26 v.1 Purpura derisu, cruciant nova ferta dolore :
2 ambo gravant poenas, plus fera sarta, tuas.
3 Purpura vana tegit : melior superinduit imis
4 eruta de venis, per nova sarta, tuis.
5 Qua rubus ingreditur, manat cruor undique rivis,
6 qua cruor it, duris est via facta rubis.
7 Tot saliunt fontes, quot acumina tempora rumpunt :
8 vita, salus, pretium, lux, decor unde fluit.
9 Heu ! Minus in venis sacri reor esse cruoris,
10 quam quod laeta sinu terra beata bibit.
11 Prodigus es nimium ; generoso parce cruori,
12 sanguine tingenda est crux, juga, saxa, viae.
13 Post lateris vulnus, latebras rimatus, et undas ;
14 exhaustus, dices, est cruor ? Unda fluat.

ECCE HOMO.

P5_27 v.1 Gens humana, Erebi faucibus eruta
2 duris suppliciis : Ecce Homo, respice,
3 qui fuso pretio sanguinis eruit,
4 vitae prodigus unicae.

5 Admiranda novis forma coloribus,
 6 cui non assimilis, ponitur ; aspice
 7 caelatam effigiem, sculptaque pectora
 8 dura carnificum manu.
 9 Hujus pingue sacra pectus imagine :
 10 idcirco ante oculos figitur omnium ;
 11 hinc, auctore Deo, moribus addere
 12 fas est eximium decus.
 13 Picturae eximiae nullus abest color :
 14 expressa est colaphis purpura grandibus,
 15 venis heu ! Nimium manat hiantibus,
 16 Agni purpureus color.
 17 Nigror praevaleidis ductus ab ictibus,
 18 dulci membra notat non sine gratia ;
 19 candor per faciem, qui superat nives,
 20 sputis illitus albicat.
 21 Permissis dapibus dum pius abstinet,
 22 pallens ora color dulciter inficit ;
 23 quam pulchre referunt caeruleum sacrae
 24 longis excubiis genae.
 25 Quas umbras video ? Qui nitor emicat ?
 26 Deformata notis, gens age, criminum,
 27 deformem repara mentis imaginem
 28 Agni mitis imagine.
 29 Hanc qui non speciem respicit, occidit.
 30 Serpentis species dicitur aenei
 31 sanavisse graves, de trabe pendula,
 32 plagas respicientium :
 33 qui non effigiem viderit aeneam,
 34 exhalans animae deperiit miser,
 35 qui non hanc faciem perfidus aspicit,
 36 culpatus miser interit.

ECCE HOMO.

P5_28 v.1 Mortales, teneri gens pia pectoris,
 2 maestis perpetuas fundite lacrimas :
 3 luctus effigies tam miserabilis
 4 poscit, squalida sanguine.
 5 Gratus solvat amor viscera, lugubres
 6 conversa in lacrimas ; quam violentia
 7 duro carnificum verbere discidit,
 8 Patri forma simillima est.
 9 Deformem faciem cui tumor efficit,
 10 livor, sputa, rubi, funereus color,
 11 deformis macies, perpetuus labor,
 12 lux est aurea caelitum.
 13 Ex hoc Aligerum ducitur omnium
 14 immortale decus : lilia, succina,
 15 aurum, gemma, rosae nobiliter trahunt
 16 ex hoc archetypo decus.
 17 Nostris criminibus debita sustinet,
 18 ad quae dulcis amor dulciter impulit :
 19 ejus nulla tenet quem miseratio
 20 vincit saxa rigentia.

ECCE HOMO.

P5_29 v.1 Pulchrior aspicior, quo plus deormor ; amorem
 2 plus tibi maesta meum (cerne) figura probat.
 3 Cernere graves vultus, mox et tormenta videbis
 4 aspera, quae culpa promerere tuae.
 5 Non me tam viles deformavere lacerti,
 6 crimina quam vitae dedecorosa tuae.
 7 In me dulcis amor (transfert amor omnia dulcis)
 8 transtulit en, vultus in mea membra, tuos.
 9 O utinam possem plus sustinuisse dolorum ;
 10 fors lacera gratus plus tibi fronte forem.

IN PILATUM CHRISTUM DAMNANTEM.

P5_30 v.1 Crimina puniceo qui sanguine diluit orbis,
 2 criminis admissi qui facis esse reum,
 3 vipereo generi, et graviter spirantibus hydris
 4 tristem obitum, Praeses, credere, crede nefas.
 5 Si dare crimen erat claudis vestigia, caecis
 6 lumina, pauperibus pabula, crimen habet.
 7 Vertere si vitreos generosa in vina liquores,
 8 perdere si tristem Daemona, crimen habet.
 9 Talia si damnas, poteris damnare Tonantem :
 10 talia si reprobas crimina, foeda probas.
 11 Talia si damnas, Praeses Romane , supremum
 12 occidisse Deum, dic age, quale nefas ?

AD CHRISTUM CRUCEM BAJULANTEM.

P5_31 v.1 Pondere succumbis, scelerum qui pondera tollis :
 2 atque ut succumbas, tam grave cogit onus.
 3 Mole tibi dempta moriar ; moriari necesse est,
 4 si tam vasta humeris pondera mole feras.
 5 Ut puto succumbes vasto sub pondere ; vitam
 6 ut mihi des, mortis pondera redde tuae.

IN CALVARIAE MONTEM.

P5_32 v.1 Mons sacer, inclinans sua cui fastigia silvis
 2 Apenninus ovans, et nive canus Athos.
 3 Caucasus Arctoo de cardine pronus adorat :
 4 et Capitolini culmina sacra jugi.
 5 Vidisti geminos moriendo occumbere soles ;
 6 occidit hic moriens : illius iste nece.
 7 In te exspiravit mea vita exstincta : Parensque
 8 visa est in vivo corpore passa necem.
 9 Teque colorarunt tremefactum, et dura gementem
 10 sparsa per aeternas flumina rubra comas.
 11 Quin etiam admirans per te manare rubores,
 12 sanguineum optasti semper habere decus.
 13 Cum laceros artus, patefactaque corda videres,
 14 aere manus ruptas, dic mihi, qualis eras ?
 15 Intonuere tuae, gemitumque dedere cavernae :
 16 funera concussis prosiluere jugis.

17 Lingua tace ; quantum doleant vel saxea Montis
18 viscera, funeribus marmora scissa notant.

DE CHRISTO, CUM CRUCI SUFFIGERETUR.

P5_33 v.1 Plurima sustinui tormenta ; in robore fixus
2 plura feram : clavos, vulnera, probra, necem.
3 Pectoris arcani melius monstrantur amores,
4 cum via de toto corpore rupta fuit.
5 Vulnera permitto fieri mihi plura : per illa
6 ut pateat totus, qui latet intus amor.

AD VULNERA CHRISTI PASSI.

P5_34 v.1 Vulnera quot cerno, tot sunt spiracula cordis,
2 per quae respirat qui latet intus amor.
3 Vulnera qui fundit per tot patefacta cruorem,
4 vitae etiam extremae, non puto, parcus erit.
5 Diluvium quamvis effuderit ille cruoris,
6 diluvium major nobile vincit amor.
7 Prodigus est vitae repetit qui vulnera ; vitam
8 i, pete suppliciter, protinus ille dabit.
9 Qui pro te fundit crudeli vulnere vitam,
10 de vita certum te facit ille tua.

DE CHRISTO IN CRUCE VIVENTE.

P5_35 v.1 Vivus adhuc lentae dilector imagine mortis :
2 supplicio vivus perfruor ipse meo.
3 Saucius abrumpor duro, velut hostia ferro :
4 sustinet exuvias crux, velut ara, meas.
5 Udaque purpureo rorant data membra cruori :
6 impedit aspectus unda cruenta meos.
7 Inter inassuetas sic sunt discrimina poenas,
8 qualibet ut diram portet acerba necem.
9 Non cupio vitam sed longa in morse morari,
10 sustineat plures ut mea vita neces.
11 Vitam homini mereor necibus tot largus, ut illa
12 sit tam cara homini quam mihi cara fuit.
13 Si non tot necibus redimatur mundus, acerbe
14 ipse meus, de me juro queratur Amor.

DE EODEM.

P5_36 v.1 Sustineo monumenta crucis victricia : palmis
2 brachia suspensum me crucis alta tenent.
3 Sustineo praedulce mihi sine pondere pondus,
4 quod grave de nostro pectore tollit onus.
5 Vi sine, carnificum patior tormenta : flagellor,
6 nec scapulas quatiunt plumbea lora meas.
7 Solvor in undantes, rosea sine caede, cruores :
8 fellea non hausto pocula felle, bibo.
9 Accipio, infesta sine cuspide, cuspidis ictus :
10 sertaque, nec laedunt, sentio fixa rubis.

11 In me jura novant et vita, et flebile letum :
 12 vita caret vita, mors rediviva nece.

DE EODEM.

P5_37 v.1 Quod vivo in poenis, te propter vivo : peremptum,
 2 dulce est supplicium non potuisse mori.
 3 Haec tibi paupertas, qua nudus pendeo summi
 4 aetheris aeternas prodiga spondet opes.
 5 Spinea gemmantes promittuntserta coronas :
 6 pocula caelestes roscida felle, dapes.
 7 Vulnera tot nostra lacerata in carne patescunt,
 8 ut pateant aditus in mea corda tibi.
 9 Brachia in amplexus tendo tibi regia ; collum,
 10 oscula dum cupio dulcia, flecto meum.
 11 Fixa quod injectis haerent vestigia clavis,
 12 exspecto ut venias, non tibi durus ero.
 13 Fixa manus ferro, clausam tibi pandit Olympum :
 14 eripiens dulces, tartara claudit, avos.
 15 Quaelibet e poenis mors est mihi vivida, vivus
 16 quas patior, vivas vult mea vita neces.
 17 Dum tibi tam multos vivus suspendor in usus,
 18 non timeo pro te multiplicare neces.

DE EODEM.

P5_38 v.1 Quas subii, possent me vivum extinguere poenae ;
 2 sanguineus sudor, quo rubet omne solum.
 3 Vincula nodosae quae me tenuere catenae :
 4 quae mihi Pontificum damna tulere domus.
 5 Praesidis Ausonii praetoria dira : trucesque
 6 carnificum, tergum quae petiere, manus.
 7 Judicis injusti sententia dura, scelusque
 8 lataque per Solymas crux onerosa vias.
 9 Postquam sustinui tormenta extrema, reservor
 10 ut possim mortis damna videre meae.

DE EODEM.

P5_39 v.1 Pro sudore, gravis mors est fudisse cruorem,
 2 quo, veluti roseo murice, rorat humus.
 3 Mors est, supremae tolerasse opprobria noctis,
 4 carnificumque graves sustinuisse manus.
 5 Mors est, tam durae religatum ad saxa columnae,
 6 verbera tam duris dura tulisse modis.
 7 Mors est, Herodis praetoria visere ; mors est
 8 imposito niveos tegmine ferre sinus.
 9 Mors est, Romani sententia Praesidis in me,
 10 vastaque sanguineae pondera ferre crucis.
 11 Mors est, tam duro confixum in robore ferro,
 12 duritiem, et gentis probra tulisse meae.
 13 Cum tot viventi sint funera, plura reposco :
 14 si sitio, sitio funera funus amo.
 15 Nec tam dura sitis satiare incendia possunt,
 16 quot poterit vivas mors mihi ferre, neces.

17 Rumpere durities humani pectoris, optat
18 qui tot amor pro te funera, quantus erit ?

AD CHRISTUM CAPUT INCLINANTEM.

P5_40 v.1 Dum caput inclinas, titulos fugisse videris,
2 quos dura imposuit gens inimica manu.
3 Vincula nec refugis, nec pondera dura catenae :
4 admittis duras mitis in ora manus.
5 Nec tibi vitantur durissima verbera : velet
6 te sinis ut lacero purpura rupta sinu.
7 In latus augustum feriens admittitur hasta ;
8 clavus it in palmas ferreus, inque pedes.
9 Fel tibi porrigitur, tu fellea pocula gustas :
10 stant super augustas spinea texta comas.
11 Et probra Pontificum, et populi convicia sumis,
12 nec refugis mortis damna probrosa tuae.
13 Solumsic titulum Romani praesidis horres,
14 dejicis in longas et caput omne fugas.
15 Nec titulos fugio, nec regia nomina dicis,
16 debita sunt titulis nomina plura meis.
17 Conveniant quamvis mihi clara insignia regum,
18 sumere per tales, non licet illa, manus.

AD CHRISTUM IN CRUCE MORTUUM.

P5_41 v.1 Candor es aeterni, nativaque ; Patris imago,
2 virginitas mundo te pariendo dedit.
3 Pacatumque regis patriis virtutibus orbem :
4 sanguine, solvuntur crimine saecula tuo.
5 Dura quid exanimos crux funere sustinet artus ?
6 Quid tantum caecae lumina noctis habent ?
7 Sacra quid horrescunt squalentia sentibus ora ?
8 Lurida quid facies sanguine facta suo est ?
9 Quae genus humanum meruit tormenta, nocentum
10 quaeque hominum culpa promeruerit, luis.
11 Dulces deliciae propriae tibi : sed mihi poenae ;
12 qua tua sunt tibi habe : qua mea redde mihi.

DE TERRAE MOTU, ET TENEBRIS PRO CHRISTO EXPIRANTE.

P5_42 v.1 Quam sit mitis Amor, qui ligno expirat in alto,
2 extremo pietas funere blanda docet.
3 Hujus in occasu terrarum pondera nutant,
4 signaque tristitiae dant elementa suae.
5 Ipse etiam faciem ferrugine velat Olympus :
6 tristior atratos sol agit ater equos.
7 Si caelum, ut jussum est pallescere, perdere sontes
8 jussissent summi Numina magna Patris ;
9 nec mora, tergeminas jaculatum in noxia flammis
10 pectora fulminea perderet illa face.
11 Si terram, ut jussa est nutare, extinguere sontes
12 ignea jussisset vindicis ira Dei ;
13 sacrilegos subito patefacta hausisset hiatu,
14 ultra sui poenas Principis, ultra necem.

15 Qui ferruginea caelum velaverat umbra,
 16 quassarat terra qui grave pondus, ait ;
 17 vita habeat finem mea : non clementia ; fusus
 18 tam placide, vitam det cruor iste reis.
 19 Sacrilegos terrere placet, non perdere ; mortem
 20 hanc Agni, haud duri vindicis, esse decet.

DE CHRISTO IN CRUCE PENDENTE.

P5_43 v.1 Qualiter Eois peragit sua funera flammis,
 2 una decem postquam saecula vixit avis :
 3 taliter ardentis inter flagrantior ignes,
 4 Agnus sublimi de cruce funus agit.
 5 Quem bene condiderat, reparat felicius orbem
 6 prodigus, effuso sanguine, dulcis amor.
 7 Subruit imperium saevae miserabile mortis,
 8 ipsa triumphali vita perempta nece.
 9 Terminus est mortis Christi mors unica : vitae
 10 principium laetae mors generosa dedit.
 11 Ipsa super mundum Clementia solvit Olympum,
 12 ille suas felix, si bene norit opes.
 13 Diluvio roseae mersantur crimina caedis :
 14 diluit infandam sanguinis unda necem.
 15 Transiliit positas Pietas largissima metas,
 16 cum dedit in sacra viscera tincta nece.
 17 Rara salutifero stillantur balsama ligno :
 18 scinditur hocferro ; plus tamen egit amor.
 19 Dulce coloratus de nubibus emicat arcus,
 20 conciliat terris dulciter ille polos.
 21 Nobile diluvium generosi sanguinis obstat,
 22 ne pereant alio saecula diluvio.

DE EODEM.

P5_44 v.1 Quid sacer Agnus agit ? Teneros tener ambit amores.
 2 Rupta manus quid agit ? Prodigia fundit opes.
 3 Quid faciunt gemitus, quid longa silentia ? Clamant ;
 4 dulciter, o hominum gens, ut amaris, ama.
 5 Clausa quid informi clauduntur lumina nocte ?
 6 Dissimulant culpas ne vereare tuas
 7 arduus in ligno quid agit ? De morte triumphat.
 8 Et cruor, et lateris quid facit unda ? Lavat.
 9 Vulnera quid peragunt tot hiantia ? Vulnera sanant.
 10 Qui nudi faciunt pectora nuda ? Tegunt.
 11 Ipse quid expositus dependet in aere ? Mundo
 12 fit praeda : et rapiens omnia praedo trahit.
 13 Quid facit in poenis ? Poenas sitit, ampla cruoris
 14 flumina cum dederit, quas sitit addit aquas.
 15 Cor sitit ille, tuos qui sese expendit in usus
 16 prodigus ; an partem pectoris ipse negas ?

DE EODEM.

P5_45 v.1 Mira super miro video miracula ligno ;
 2 puniceus maculat dum cruor, alba facit.

3 Laedere consuerunt, mire modo vulnera sanant ;
 4 mors vitam exstinctis, morte perempta, refert.
 5 Fellea delicias dant pocula ; florea clavi
 6 munera, puniceas spinea sarta rosas.
 7 Deficiens Titan melius clarescit : et ortum
 8 sumit ab occasu lux rediviva suo.
 9 Ditem Erebum nudat nudus Praedator ; Olympum
 10 ditat ovans, spoliis corporis ipse caret.
 11 Dat libertatem libertas perdita, honorem
 12 dedecus, et titulos probra, tropaea cruces.
 13 Fixa manus clavis caelum vi pandit ; adhaerens
 14 pes ligno, celeres cogit inire vias.
 15 Perdidit in ligno reus omnia mundus : in illo
 16 instaurata, novo pondere, justus habet.

AD EUMDEM.

P5_46 v.1 Poenarum exemplum crudele et flebile pendes :
 2 non tua te talem, sed mea culpa facit.
 3 Felle satur duro exspiras in robore : molli,
 4 hei, mihi pro lecto crux tibi dura subest.
 5 Insonuere cavae, gemitumque dedere cavernae :
 6 ruptaque per montes grandia saxa dolent.
 7 Isacidum sceleri lucem negat occiduus sol,
 8 sacrilegis medio nox venit atra die.
 9 Senserunt elementa necem, sensere dolores :
 10 illacrimant solis, vel fera monstra, jugis.
 11 Solum hominem propter pateris grave funus Iesu :
 12 qui tua non sentit funera, solus homo est.

AD EUMDEM.

P5_47 v.1 Mortem infelicem, crudelia vulnera passus,
 2 pro mundo roseo sanguine, Christe, luas.
 3 Vita tibi aufertur : sed non Clementia : vitae,
 4 Christe, tibi finis, non Pietatis adest.
 5 Servat inoffensos Clementia blanda ministros,
 6 qui dura exitii causa fuere tui.
 7 Praelata est vitae Clementia blanda peremptae,
 8 ut doctas Regni mitia jura tui.
 9 Plus posse ostendit Clementia blanda : potestas
 10 dissimulat vires ingeniosa suas.

AD EUMDEM.

P5_48 v.1 Dum video duro suspensum in robore corpus,
 2 vulnera, fel, vepres, verbera, vincla, latus,
 3 cur non perpetuos liquefactus solvor in imbres ?
 4 Nec geminae fiunt flumina larga genae ?
 5 O utinam saxum fieret mihi cor ; nece sacra
 6 mollius, aequaret marmora duritie.
 7 Dura, Triumphator, qui vincis marmora, vis plus
 8 vincere ? Cor fuso sanguine frange meum.

AD EUMDEM.

P5_49 v.1 Aeterni Patris imperiis, divine Sacerdos,
 2 qui pia, sublimi de cruce, sacra facis.
 3 Unus pro toto moriens cadis hostia mundo,
 4 dum tua divinus viscera torret amor.
 5 Maxime Rex, fulvo cui non coma fulgurat auro,
 6 sed circum horrenti cuspide cincta riget,
 7 regna recognoscunt tua te superata duello,
 8 Tartara te, liquidum te mare, terra, polus.
 9 Maxime bellorum ductor, quem vulnerat ingens
 10 hasta, humeris pondus non leve, Christe, tuis.
 11 Occidit, occidit dum te mors saeva : paravit
 12 et tibi quod funus triste, perempta tulit.
 13 Servatoris habes titulos per funus ; eosdem
 14 servatus titulos effice ut experiar.

DE CHRISTO IN CRUCE SITIENTE.

P5_50 v.1 Mille neces tolerat moriendo, et mille dolores
 2 Agnus in infirmi dum cruce pendet onus.
 3 Spicula nec queritur teneras intrantia palmas,
 4 spicula nec teneros quae tenuere pedes.
 5 Nec queritur largo manantia membra cruore,
 6 nec queritur duris tempora laesa rubis.
 7 Nec queritur factos perarato in corpore sulcos,
 8 nec roseo vastum quod natat imbre solum.
 9 Nec probra Pontificum, nec verba indigna loquentum,
 10 quae jacet infandis lingua profana modis.
 11 Nec queritur mortis tot in uno funere formas :
 12 sola querellarum causa, suprema sitis.
 13 Qui sitiens moritur, moriens satiabitur ; undans
 14 ipse tibi satiet si cruor imbre sitim.
 15 Prodigiousa sitis sitiendo exundat : et omnes
 16 quo magis inde bibunt, fit minor una sitis.

DE MILITE LATUS CHRISTI APERIENTE.

P5_51 v.1 Bis mihi divini patuerunt corda Tonantis :
 2 bis mihi divini cordis aperta via est.
 3 Hasta mihi patefecit iter semel : abditus imo
 4 pectore, per vulnus plus reseravit Amor.

IN EUMDEM.

P5_52 v.1 Impie, quid mactas dilecta in prole Parentem,
 2 quae comes in Nati pectore dulcis adest ?
 3 Laedere delicias Nati, Divumque, hominumque,
 4 laedere delicias ausus es ipse tuas.
 5 Quam sit virgineum cor blandum, et dulce, priusquam
 6 durius id ferias, respice, blandus eris.

AD VIRGINEM MARIAM CRUCI ADSTANTEM.

P5_53 v.1 Triste sonat Mariae nomen mare ; Regia Virgo,
 2 convenit aequoreae quam tibi nomen aquae !
 3 Dum subit infandum letum trabe Natus in alta,
 4 quid nisi caeruleum tunc mare pectus erat ?
 5 Pectus in afflictum duri coiere dolores,
 6 in mare ceu vastum flumina cuncta fluunt.
 7 Es tot passa neces, quot acerbo funere poenas
 8 Filius, et duras quot tulit ille neces.
 9 In poenas dilata fuit tibi vita superstes,
 10 cui superat vitae nil, nisi posse mori.
 11 Cycne, quid huic gladium, quid vulnere dura minaris ?
 12 Jam levis est gladius, cui mare nomen adest.

AD EAMDEM.

P5_54 v.1 Poena gravis Nato geminatur imagine poenae,
 2 quam Genitrix, Nato pro patiente subis.
 3 Tristis ades : vitreos manans tua lumina fontes :
 4 parturiunt gravidae flumina larga genae.
 5 Fellea defuerint sitiendi pocula Nato :
 6 fellea de lacrimis jam bibit ille tuis.
 7 Torqueat afflictum quamvis praesentia Natum,
 8 huc ades : aspectum deperit ille tuum.
 9 Si dolor accrescit, crescunt solacia ; solum est
 10 solamen, gemina sub cruce posse mori.

AD EAMDEM.

P5_55 v.1 Stat genitrix vicina cruci praemortua ; vitam
 2 tantum habet, ut poenas pascat alatque suas.
 3 Tormenta et poenae coeunt in corda Parentis,
 4 quae Natus toto corpore caesus, habet.
 5 Cor lacerant clavi, cor spinea sarta coronant :
 6 verbera fert, tolerat funera, felle madet.
 7 Vulnere vulneribus superaddita corpora Nati
 8 dilacerant, plagas corda Parentis habent.
 9 Lugubre diluvium fluit ipso e corpore Nati :
 10 diluvio Matris corque, animusque tumet.

AD EAMDEM.

P5_56 v.1 Sparsa per exanimum cerno quot vulnere corpus,
 2 illa simul, Genitrix, cor petiere tuum.
 3 Vulnere cor lacerant, clavi fera cuspis : acerbat
 4 triste fel, adstringunt vincula sarta premunt.
 5 Virginis in Nato video pia corda : Parentis
 6 molle cor est Nati tristis imago sui.
 7 Mortuus est Natus, Virgo est servata dolori :
 8 illam mors vivax, mortua vita trahit.
 9 Mors fera junge duos ; Natum vel redde Parenti,
 10 vel Mater, Nati funere, funus agat.
 11 Virginis, et Nati geminata cadavera vivunt :
 12 et Nati, et Matris mortua vita perit.

13 Pessima sors leti : vitae sors pessima ; quando
14 nil vita, aut leto durius esse potest.

EADEM AD FILIUM.

P5_57 v.1 Christe amor, et Matris prima, et suprema voluptas,
2 sponse animi, o mentis luxque bonumque meae.
3 Lumen, et afflictatae solamen dulce Parentis :
4 o spes, o vitae vita perempta meae.
5 Lumina, queis lacrimas hostili in morte profundis,
6 Matris ad exanimatae funera verte tuae.
7 Corde gero quot habes lacerato in corpore plagas :
8 Nate, tuam cogor viva subire necem.
9 Latronem asciscis : fidam tibi, Nate, relinquis
10 et sponsam, et Matrem, participemque necis.
11 Ipsa dedi vitam quondam tibi : funera posco :
12 pr o vita, tribui quam tibi, posco mori.
13 Nate, tuae poenatae simulacrum ut flebile praesto,
14 sim precor exspirans mortis imago tuae.

CHRISTUS AD MATREM, CUM E CRUCE DEPONERETUR.

P5_58 v.1 Depositos specta, Genitrix lacrimabilis, artus :
2 tam tibi cor lacerum est, quam mea membra mihi.
3 Oscula des membris, Genitrix, si maesta cruentis
4 labra Parens, roseo sanguine picta feret.
5 Sanguine picta Parens, mille oscula fige perempto :
6 delicias summas, sic mihi picta dabis.
7 Oscula erunt bis grata mihi, vel sanguine nostro
8 picta, vel a labris oscula fixa tuis.

DE EODEM.

P5_59 v.1 In cruce crudelis fixit mea membra satellites :
2 de cruce me dulces deposuere manus.
3 Durius ascendo, descendo mollius inter
4 balsama ; sunt lacrimatae quatae super ora fluunt.
5 Unguento, atque aloa lacerum ne spargite corpus :
6 gratior est gravidis lacrimata fusa genis.

AD NICODEMUM, ET JOSEPHUM.

P5_60 v.1 Quam bene Nobilitas lacrimosa in morte laborat !
2 Quam pia dat lacrimata ! Quam pia perdit opes !
3 Nobilitant lacrimatae pretiosa unguenta : supremum
4 illa oculo pretium de lacrimante, ferunt.
5 Taliter expensatae supremi in funere Regis,
6 non amittuntur, nobilitantur opes.
7 Ambo laboratis, summosque refertis honores :
8 fert pietas summum, per pia facta, decus.
9 Aeternum cupitis si nobilitare labores :
10 sit pius adjuncta nobilitare labor.

NOBILIS DECURIO AD CHRISTI VULNERA.

P5_61 v.1 Non ego delicias, non regna nec aethera posco :
 2 vulneribus cupio ditior esse tuis.
 3 De tot vulneribus quot hiantia pectora rumpunt,
 4 et capui augustum, pectora, terga, latus,
 5 reddere mille potes mihi vulnera, Christe, manebunt
 6 millia multa sacrum quae male corpus arant.
 7 Militis intactum non est bene corpus, ab hoste
 8 multa ducis quando vulnera pectus habet.
 9 Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
 10 dulce meum : meritis vulnera redde meis.
 11 Utere justitia, vel vulnera redde merenti.
 12 Vel mea vulneribus vulnera junge tuis.

AD SANCTISSIMAM CRUCEM.

P5_62 v.1 Imago summi, Crux sacra, Principis,
 2 gemmae tot ornant quam bene lucidae,
 3 quot te triumphali cruore,
 4 sanguineae tetigere guttae.
 5 Tot picta claris crux adamantibus,
 6 praefixa clavis quot radiantibus ;
 7 es lectus aeterni Tonantis,
 8 quo moriens placide quiescit.
 9 Contemplor arcam te quoque foederis :
 10 non extimesco diluvium vetus,
 11 regente ligno te refusi
 12 nobile diluvium cruoris.
 13 Numen fatentur, praescia jam tuum
 14 non usitatis marmora motibus,
 15 montesque, discissaque rupes,
 16 et geminus tremefactus orbis.
 17 Manes adorant : monstra triformia,
 18 non sponte reddunt dum sacra pignora :
 19 moles sepulcrales tremiscunt,
 20 et levibus viduantur umbris.
 21 Numen fatentur, qui rapida manu
 22 arcana tundunt pectora milites :
 23 natique maerentesque matres
 24 Heu ! viduos repetunt penates.

LIBER SEXTUS.

DE CHRISTO TRIUMPHATORE.

(736 vers)

RESURRECTIO. CHRISTO REDIVIVO VOTUM TRIUMPHALE.

P6_1 v.1 Ergo serenato ridentia lumina caelo,
 2 Christe, refer : toto corpore risus eat.
 3 Ante sepulcrales liventia vulnera moles,
 4 tristiaque, informi de nece, signa cadant.
 5 Surgat adorato melior de funere vita,
 6 membraque de leto sint rediviva suo.
 7 Gemmea purpurei subnectant stigmata flores,
 8 vivaque surgentis vulnera, gemma notet.
 9 Dexterâ pinget rubros, virides trabe laeva lapillos,
 10 succina, quae raptant pectora, pectus habe.
 11 Utraque formosos substernat planta smaragdos,
 12 gemmea de roseo vulnere bacca fluat.
 13 Sudet opes cervix, sudent opobalsama crines,
 14 lactea frons Nectar, mel latus, ora nives.
 15 Spirent labra rosas, aurum coma, sidera vultus,
 16 candida caelestes lumina delicias.
 17 Sedula victori nectant elementa triumphum :
 18 pompa triumphales mystica promat opes.
 19 Phoebus anhelantes roseo temone jugales
 20 flectat, eant volucres per cava colla jubae.
 21 Candida luteolas componat Cynthia bigas,
 22 appingat famulas stella refusa rotas.
 23 Ignea flammantes lambant incendia currus,
 24 molliaque infigant oscula mille, faces.
 25 Candida quo liquidi texant velamina tractus,
 26 aera, pacifico turbine, turbo rotet.
 27 Unda levi motu crispata volumina fingat,
 28 Nerea, squamoso cum grege, volvat aquis.
 29 Motant aerei dum summa cacumina montes,
 30 mole gravis, vasto murmure, plaudat humus.
 31 Grandia fatales monstra indignata catenas,
 32 fusa triumphantis sub pede, triste fremant.
 33 Mille sonent arcus, captivaque tela sub umbris :
 34 millia ballantum corpora, mille neces.
 35 Tristia Taenarias carpant incendia ripas :
 36 mirentur viduos lurida regna lacus.
 37 Regia victrices signent vexilla phalanges.
 38 Nobilis exsultet, cum duce praeda suo.
 39 Aurea siderei fundant examina tractus,
 40 pictaque puniceo murice penna volet.
 41 Picta croco plumas, et versicoloribus alis
 42 applaudat Regi turba beata suo.
 43 Mille vias, et mille trahat per nubila gyros,
 44 mille sonent plausu carmina, mille chori.
 45 Aurea cordatos modulentur nablia cantus,

46 et lyra vocales stringat eburna fides.
 47 Rumpant felices felicia sidera voces :
 48 templa, triumphali carmine pulsa, sonent.
 49 Victor Io, bellator, Io, Rex Christe, triumpha :
 50 orbis ama, caelum perstrepe, Averne time.
 51 Victor Io, Rex sanguineis invicte tropaeis,
 52 aurea siderea corripe sceptrum manu.
 53 Victor Io, Rex Tartarei tu sceptrum Tyranni
 54 dejicis : Inferni tu rapis arma ducis ;
 55 victor Io, Stygii spoliū praedonis in auras
 56 extrahis, informem sub Styga monstra premis.
 57 Victor, Io, spoliis superos, qui ditat opimis
 58 vivat Io, Superum Rex bene vivat, Io.

DE SACROSANCTA CHRISTI RERURRECTIONE. REGNAVIT A LIGNO DEUS.

P6_2 v.1 Funere regna cadunt, surgunt modo funere Regna :
 2 principis imperium nobile funus habet.
 3 Crux micat, aeterni solium sublime Tonantis :
 4 arduus imperio, de Cruce, Christus ovat.
 5 In cruce sublimem miles Romanus adorat,
 6 regiaeque, ex patrio stemmate, sceptrum canit.
 7 In cruce pendenti velamina scissa ministrans,
 8 atque adytis repetunt Numina vota suis.
 9 Ligno exspirantem, ligno quoque pendulus alto,
 10 ad nova sollicitat jam prece, regna latro.
 11 Dum perit in ligno, Phoebes, Phoebique labores
 12 Principis exsequiis justa dedere sui.
 13 Regnatorem Erebi, vastatoremque profundi
 14 edidicit fractis eruta praeda seris.
 15 Corpora de tumulis Regem revocata salutant :
 16 raptaeque subsultant grandia saxa jugis.
 17 Discite quid possit divina potentia ; vertit
 18 supplicia in titulos, Rex redivive, tuos.

DE CHRISTO SUSCITATO.

P6_3 v.1 Vincula catenati dissolvite ferrea sontes :
 2 ferrea qui solvit vincula, victor ovat.
 3 Cervices miserae, captivi, exsolvite moli,
 4 pressa jubet Victor solvere colla jugo.
 5 Contra Assertorem, libertatisque Parentem,
 6 pectore servili qui male servit, agit.
 7 Quam male servus erit, qui vult servire libenter ?
 8 Vincula qui rupit, quam bene liber erit !

DE EODEM VICTORE.

P6_4 v.1 In bellum ex tumulo Victor Rex surgis ; in hostes
 2 quae salit ex oculis vivida flamma, ruit.
 3 Aegida non video, nec acutae cuspidis hastam :
 4 Martia nec saevo fulminat esse manus.
 5 Flammeus es Victor, facibusque armaris, et ignes
 6 plusque potes, quando plus patienter agis,
 7 victori respersus adhuc, testatur honores,

8 vulnere qui rutilat, fusus ab hoste cruor.

DE EODEM.

P6_5 v.1 O quantum Victor facit hic dulcescere poenas !
 2 Quo duce nex blanda est, mors sine morte venit.
 3 Martyribus poena est crudos cessare tyrannos :
 4 suppliciis, poena est, et caruisse suis.
 5 Immanes Victor patitur saevire Nerones,
 6 delicias monstret, quo magis ille suas.
 7 Atria delicias habeant caelestia : poenas
 8 inter, delicias tu mihi, Christe, tuas.

DE EODEM.

P6_6 v.1 Sanguine pacta fides vinctos e carcere solvit :
 2 solvit et arenti corda sepulta lacu.
 3 Non facit hoc solii, regnique immensa cupido :
 4 sed facit in populos prodiga dextra suos.
 5 Qui sint, quos redimit, caelique in sceptris reponit,
 6 signat adhuc saevae plaga cruenta necis.
 7 Quanta tibi in captum, Christe, indulgentia regnum,
 8 e caeso pretium pectore, testis erit.

DE ADMIRABILI ASCENSIONE. AD CHRISTUM CAELOS ASCENDENTEM.

P6_7 v.1 Christe, triumphali dum tendis in aethera pompa,
 2 quam laetor, lenta dum petis astra mora !
 3 Hac nisi laetitia cumulares corda ; dolores
 4 quis posset, celeres quis tolerare fuga ?
 5 Siste gradu ; occultas fugiens genus omne bonorum :
 6 siste gradum : tardae dant bona cuncta viae.
 7 Discissum aspectu dulcis mora temperat : ardent
 8 plus desideriiis lumina fixa tuis.
 9 Gaudia mille traho, dum te contemplor euntem,
 10 dum rapit ex oculis te fuga, mille rapit.
 11 Astra petis : maneo in terris ; abeuntis imago
 12 illa, meos luctus temperat, illa facit.

AD EUMDEM.

P6_8 v.1 Os, humerosque homini similis, tibi debita regni
 2 ingredi aetherei culmina, dulcis Amor.
 3 Dulcis Amor, dulci qui corde mereris amores,
 4 alta triumphales duc super astra rotas.
 5 Deposuit te dulcis amor de sede Tonantis :
 6 depositum reduci tollit in astra via.
 7 Altior ut summo victor veherere triumpho,
 8 delabi faciles jussit ad ima gradus.
 9 Mira peregit amor commercia ; junxit in unum
 10 verum hominem, verum mente, animoque Deum.
 11 Ut Deus incoleres, et homo regna infima fecit :
 12 ut Deus ascendas, atque homo summa facit.
 13 Majestas sic summa potest ascendere ; summus
 14 quique Deus nescit crescere, crescit homo.

DE LAPIDE CHRISTI ASCENDENTIS VESTIGIIIS SIGNATO.

P6_9 v.1 Christus ovans laeta dum tendit in aethera pompa,
 2 sculpsit in opposito marmore signa pedum.
 3 Pressa sacrum servat vestigia dulcia marmor :
 4 talia dum quisquis pronus adorat, ait :
 5 "Deliciae fugere hominum, fugere voluptas,
 6 dulcis Amor, mentis gaudia, divitiae.
 7 Quid facis in terris miserum cor ? Christus in astra
 8 te rapit, et monstrat qua gradiare viam."

DE SACRO SANCTO SPIRITU.

ILLIUS ADVENTU TREMEFACTOS MANES, MALO SIBI OMINE PRAELUSISSE,

P6_10 v.1 Jure pallentes tremuere manes,
 2 more monstrorum fera mugientum,
 3 Spiritus summis ubi principalis
 4 venit ab astris.
 5 Sceptra Plutoni rapit imperanti,
 6 demit augustos titulos, et aras,
 7 monstrat humani cupidum cruoris
 8 esse tyrannum,
 9 quem queat nullus satiare sanguis :
 10 maximum quamvis bibat ore Gangem,
 11 luridam quamvis bibat Amphitritem
 12 caede cruentam.
 13 Igneis nectit, religatque nodis,
 14 damnat aeternum Stygiis caminis,
 15 flamma ubisemper, sine luce, nigro
 16 sulphure fumat.
 17 Spiritum contra fremuere reges,
 18 Spiritum contra fremuere gentes,
 19 fregit incassum Paracletus hostem
 20 arma frementem.
 21 Arma respersit, nece Virginali
 22 Virgo non mollis : necis incruentae
 23 repperit palmas : domuit feroces
 24 agna leones.
 25 Stravit imbellis puer insolentes
 26 Principes, dura sine vi, nec armis,
 27 audet in densas, properante cursu,
 28 tendere flammis.
 29 Virgo quod fecit, puer et tenellus,
 30 vir facit tactus potiore flamma,
 31 quem ferum sacro Paracletus igni
 32 armat in hostem.
 33 Spiritu summi duce Patris, ignes
 34 corda dum norunt, pariterque Nati,
 35 et Patri, et Nato cupiunt receptam
 36 reddere vitam.
 37 Hoc amor poscit Patris, atque Nati :
 38 ardor hoc ingens animi virilis,
 39 prodigus pensat nece qui cruorem,
 40 funere vitam.

DE EODEM.
ARTIFICI IGNE, RUDE HOMINUM GENUS AD SUMMA OMNIA CONFORMATUM.

P6_11 v.1 Paret e summis novus ardor astris ;
 2 esse quid magnum nova signa monstrant :
 3 aura crebrescit, referuntque blandi
 4 murmura venti.
 5 Aethra vel terras ruit in jacentes,
 6 terra vel summum petit alta caelum :
 7 prorsus aequari reor ima summis
 8 foedere dulci.
 9 Fingit Heroum genus absque dextra,
 10 lingua monstrosis radiata flammis :
 11 quale non fulvo generavit aetas
 12 nobilis auro.
 13 Vincit Eoos nitor uniones,
 14 vincit ardentis nitor et pyropos :
 15 lilium candens minus enitescit,
 16 et minus aurum.
 17 Dum videt Phoebus decus, erubescit :
 18 "Ecquid astrorum peragent nitores ?
 19 Ipsa nocturnos vaga condit ignes
 20 Luna minores."
 21 Qualiter flagrat Cherubinus ardens,
 22 taliter flagrat nova turma : turmas
 23 aequat alatas, quibus astra supra
 24 vita perennat.
 25 Mole mortali penitus relictas,
 26 monte sublimi petit alta ; caelum
 27 quin supra raptum cupide elaborat
 28 ducere mundum.
 29 Tanta non lenti mora finxit aevi
 30 monstra : nec rarum decus aemulantes
 31 alitum dextrae, meliusve quidquid
 32 sidera celant.
 33 Quos rudes cepit sacra flamma, doctos
 34 reddit extemplo : vitreos refingit,
 35 reddit et duros, adamantis instar
 36 ignea moles.
 37 Cepit imbelles : subito leones
 38 reddit audaces ad acuta bella ;
 39 frigidus cepit, subito evaporant
 40 pectore flammis.
 41 Artifex Ignis sacer hoc peregit ;
 42 quamque sit velox didicere cives,
 43 igne flagranti superum beata
 44 sede reposti.

DE EODEM.

P6_12 v.1 Lingua quem signat rutilante flamma,
 2 aura cui magno comes est tumultu
 3 spiritus, coeptis sacer obsecundat
 4 grandibus auctor.

5 Unde conjurant Solyma nefasti,
 6 cum sacerdotum grege perfidorum,
 7 caede regali scelus abluentem,
 8 perdere ferro.
 9 Figitur ligno super Agnus alto :
 10 hinc, et hinc pendent gemini latrones :
 11 spina pendentis caput ambit Agni,
 12 sanguine rorat.
 13 Solque nigranti tegit ater umbra
 14 aureos vultus, et amica Phoebe
 15 crimen aversis fugiunt quadrigis
 16 grande reorum.
 17 Agnus exspirat : subit Agnus Orcum,
 18 terret immanes Acherontis umbras,
 19 surgit ex ima redivivus ora :
 20 scandit Olympum.
 21 Spiritus caelo volitans ab alto,
 22 gloriam casi manifestat Agni,
 23 sponte regali docet expiasse
 24 sanguine mundum.
 25 Edocet victos spoliassse Manes,
 26 morte suscepta superasse mortem,
 27 pro probris claras retulisse palmas,
 28 pro nece vitam.
 29 Cuncta terrarum subito novantur :
 30 incipit rerum novus ordo : mundus
 31 cultor est Agni, prece quem profusa
 32 pronus adorat.
 33 Hinc magistratus, populus, sacerdos,
 34 dulce qui supra posuere lignum
 35 corpus, immanis male vulnerandum
 36 cuspidis hasta,
 37 caede candentis renovantur Agni ;
 38 crimen agnoscunt grave, quod patrarunt,
 39 quodque ferali petiere dextra,
 40 Numen adorant.
 41 Agnum in excelsa cruce quae peremit
 42 Urbs atrox, illi pia ponit aras,
 43 flore quas vestit : pariter Sabaeo
 44 ture vaporat.
 45 Fudit augustum fera gens cruorem,
 46 cujus est magno pretio redempta :
 47 carpit insuetos scelere ex nefando
 48 gratia fructus.
 49 Posse vix mundus fieri putasset
 50 ista, ni veri Paracletus auctor
 51 esset, et sacris prius imbuisset
 52 pectora linguis.

AD SACROSANCTUM SPIRITUM. VOTUM PRO REPARANDO ORBE.

P6_13 v.1 Perdedit formam, speciemque mundus,
 2 culpa deformem maculosa finxit :
 3 plumbeum fecit, luteumque pulso
 4 longius auro.

5 Vise deformes, Paraclete, terras ;
 6 quas reformasti, renova potenter
 7 igne caelesti : repetentque priscum
 8 protinus aurum.
 9 Nostra, sopitis mala saecula flammis,
 10 ut redardescant meliora, sacro
 11 igne concepto, reparentque vires
 12 aucta priores,
 13 nectat aeternis pia corda nodis,
 14 addat ardentis animis amores
 15 caritas dulcis, merito piorum
 16 mater amorum.
 17 Cesset armorum furor inquietus,
 18 qui ferox armis inimicat orbem,
 19 pacis et semper cupienda terris
 20 foedera turbat.
 21 Foeda quae gazis inhiat cupido,
 22 instar Harpyiae scelerata raptrix,
 23 claudit aeterno male quae receptas
 24 carcere gazas,
 25 pulsa discedat procul hinc : acutum
 26 sentiat ferrum, meritasque poenas ;
 27 ac velut monstrum furiale nostrum
 28 deserat orbem.
 29 Quae fides mentes super astra raptat,
 30 copia pectus potiore ditans,
 31 cogat ingentes rutilantis auri
 32 spernere acervos.
 33 Terra sit caeli radiantis instar,
 34 pax ubi cives, odiis fugatis,
 35 nectit aeternum, simul et perennes
 36 addit amores.
 37 Corda nil quaerant, nisi Numen ardens :
 38 illius flammis sitienter optent :
 39 illius sacros sitiendo anhelent
 40 semper ad ignes.

DE SACRO SANCTO SPIRITU.

NOVAM AB EO LEGEM PROMULGATAM, VETERI LONGE FELICIOREM, ET SUAVIOREM.

P6_14 v.1 Inter obscuras data lex tenebras,
 2 inter horrendos data lex fragores
 3 terret auditus, nimioque turbat
 4 corda pavore.
 5 Mons sacer fumat, rutilantque nubes
 6 inter obscuros penitus nigrores ;
 7 agmen ad Martem stimulat sonoro
 8 buccina cantu.
 9 Fumus obscurus, fragor, atque clangor,
 10 inter horrendas vaga lux tenebras,
 11 pectoris signat tacito latentes
 12 corde timores.
 13 Lex vetus mundo peperit tremores ;
 14 terrui gentes, animosque flammis ;
 15 pondus imponit grave : ferre pressus
 16 quod nequit orbis.

17 Detulit dulces nova Lex amores,
 18 dulce blanditur, juga blanda reddit :
 19 quin et arcanas recreat latenti
 20 igne medullas.
 21 Ponderi pondus grave demit : absque
 22 mole fert moles ; levis inter ignes
 23 ludit ardentis : requiescit inter
 24 fessa labores.
 25 Ut novae Legis reperitur Auctor
 26 spiritus mitis, pius, et benignus :
 27 lex habet quidquid nova lenitatis
 28 flamma ministrat.
 29 Ille, ceu totum regit aequus orbem,
 30 major in reges velut imperator,
 31 major antiquas viget inter omnes
 32 Lex nova leges.

DE SACROSANCTO SPIRITU.

EO MAGISTRO, SUMMAM RERUM HUMANARUM DESPICIENTIAM EDOCERI :
 ET SAEVA TYRANNORUM TORMENTA, PRAE ILLIUS DULCEDINE, RIDENDA.

P6_15 v.1 Mira divinus docet hic Magister,
 2 lingua quem monstrat, rutilante flamma,
 3 aura quem monstrat prope non ferendae
 4 aequa procellae.
 5 Quem Pater spirat, pariterque Natus,
 6 quem triumphata Styge, morte victa ;
 7 caede quem Natus reserans Olympum
 8 misit ab astris.
 9 Edocet saevas superare tigres :
 10 asperos crudae catulos leaenae :
 11 edocet diros superare laeta
 12 fronte tyrannos ;
 13 ire per saevas, sine clade, flammis,
 14 quando Vulcanus furit in caminis :
 15 cumque turbati tumuere fluctus,
 16 ire per undas.
 17 Sponte crudeli dare colla ferro,
 18 pro sacra Divum pietate, et aris ;
 19 quin et aeternos emere invidenda
 20 morte triumphos,
 21 quodque blanditur, specieque fallit,
 22 dulce quod paret, jugulare ferro :
 23 more conantis Patris Abrahami
 24 perdere natum.
 25 Quasque mortales sitienter ardent,
 26 ne solo vili penitus putrescant,
 27 pauperum dextra posuisse supra
 28 sidera gazas.
 29 Prorsus humanum nihil appetendum,
 30 sole sub nostro nihil esse magnum :
 31 grande, vel summum nihil aestimandum,
 32 praeter Olympum.
 33 Haec docet nemo, nisi doctor ardens
 34 spiritus sacra face : nemo suadet,
 35 is nisi ardenti prius ex Olympo
 36 imbuat igni.

37 Erudi, Doctor, rude pectus, ingens :
 38 corda formosis recrea favillis :
 39 da sequi sacros monitus, volantis
 40 alitis instar.

DE SACROSANCTO SPIRITU.

P6_16 v.1 Inchoat a flammis divina exordia mundus ;
 2 quam nova flamma venit, tam novus orbis erit ?
 3 Fit nova terrarum facies, nova forma relucet ;
 4 deponunt senium cuncta novata suum.
 5 Plumbea quae fuerant, fulvum vertuntur in aurum :
 6 splendida de saxo gemma repente nitet.
 7 Visitur in terris gens aurea : clarior illa,
 8 quam tulit Heroum tempore dives humus.
 9 Alter ab integro saeculorum nascitur ordo.
 10 Monstra quis effinxit tam nova ? Flamma facit.

DE FLAMMA DIVINI, ET HUMANI AMORIS.

P6_17 v.1 Miscet Amor pugnas : dulci rapit arma duello :
 2 pugnat in affectus fax inimica suos.
 3 Vincat ut infames, caelo volat ignis, Amores ;
 4 ignibus, infamis igne repugnat amor.
 5 Vincitur, et vincit flammis amor ; ignea cedit
 6 vis minor : ardenti fax face victa cadit.
 7 Aptuis aetherea flamma expugnantur amores ;
 8 vincitur invictus, vi nisi amoris, amor.

DE EODEM.

P6_18 v.1 Cedite mortales, pugnax ruit ignis ab alto :
 2 armatur sacris Martia lingua rogis.
 3 Est nova bellorum facies, nova bella parantur :
 4 ipse suos armat Spiritus igne globos.
 5 Nemo triumphabit, depugnatore Tonante :
 6 proelia, caelesti pro duce, lingua tonat.
 7 Pro duce lingua venit : pro milite, lingua lacessit ;
 8 absque manu (mirum !) lingua tropaea rapit.

IN SACROSANCTAM COLUMBAM.

P6_19 v.1 Ut blandi superent agni sine viribus orbem,
 2 non line prodigio, blanda Columba facit.
 3 Robora quae inspirat mitis sine felle Columba,
 4 in palmae titulos, mitior agnus habet.
 5 Vincitur insuetam sic mansuetudine mundus ;
 6 Marte repugnasset, vis nisi blanda foret.

IN SACROSANCTAM AURAM SPIRANTEM.

P6_20 v.1 Crebrescunt aerae ; Zephyris date vela secundis ;
 2 linteaque in portus aetheris aura feret.

3 Quae venit ex alto, data carbasa ducet in altum ;
 4 quo magis adversa est aura, secunda magis.
 5 Ne timeas pondus ; spirat violentior : orbes
 6 ut super aethereos mox grave tollat onus.
 7 Rumpe moras : caeli tende ad fastigia ; caeli
 8 culmina cui dantur, quid remoratur humus ?

IN SACROSANCTAM LINGUAM.

P6_21 v.1 Quam bene caelestem notat ignea lingua Magistrum,
 2 ignibus alloquitur quam bene dulcis Amor !
 3 Discere vis puros purae pietatis amores ?
 4 Erudiat pectus flammea lingua tuum.
 5 Illa brevi summos mortalibus addit honores :
 6 pandit inexhaustos Numinis illa sinus.
 7 Vis nosse accensae sit quanta potentia Lingua ?
 8 De terra caelum Lingua repente facit.

IN SACRUM CONCLAVE.

P6_22 v.1 Urbis fama tuae, Solymae Conclave Sionis,
 2 spiritus aethereo quod sacer igne beat :
 3 sensisti superas spirare potentius auras,
 4 in te divinas igne rubere faces.
 5 Te super effusa est largi indulgentia caeli :
 6 in te larga Dei prodiga visa manus.
 7 Numquam tam dulces hauserunt corda sapes :
 8 pectora delicias numquam habuere pares.
 9 Fata domus caelo, felici ex ubere posco
 10 tantum relliquias : his ego dives ero.
 11 Has ego non auro concludam ; in corde reponam :
 12 plus auro, et gemma jam tibi corda placent.

DE EODEM. IMPLEVIT TOTAM DOMUM.

P6_23 v.1 Totum homini illabi produnt nova signa Tonantem :
 2 impletur lapso tota Tonante, domus.
 3 Grandia dona fluunt Dominum comitata ruentem :
 4 dona fluunt Domino nulla minora suo.
 5 An majora cupis ? Totus conturbet Olympus :
 6 nil jam quod donet totus Olympus habet,
 7 stultitia est, hominem majus sibi poscere ; Numen
 8 cui non est ingens, ille pusillus homo est.

DE TRIUMPHALI VIRGINIS MATRIS IN CAELUM ASSUMPTIONE.

P6_24 v.1 Virgo Parens veri est verissima Solis imago,
 2 Virgo Parens Nati est gloria viva sui.
 3 Virgo refert Natum caelestis imagine vitae :
 4 aemula surgentis de nece, Virgo redit.
 5 Natus it in caelum : Genitrix quoque tendit in astra :
 6 summa tenet Natus, proxima Virgo tenet.

AD EAMDEM MORIENTEM.

7 Mira tibi vita est, vitaeque insignis origo,
 8 et decus insuetae nobile mortis erit.
 9 Et mundum, et mortem vicisti, et Tartara ; restat
 10 vincere caelestes, ultima palma, choros.

AD EAMDEM.

P6_25 v.1 Igniferis Vates dum tendit in alta quadrigis,
 2 discipulo vestis pignus amoris erat,
 3 non amor in caelum permittit abire Parentem,
 4 quin det pignoribus pignora magna suis.
 5 Discessura Parens velamina sacra reliquit,
 6 ergo patent natis dulcia corda suis.

DE EADEM ASSUMPTA.

P6_26 v.1 Astra super Regina feror rediviva triumphis ;
 2 fallitur, e tumulo qui petit ossa meo.
 3 Ardua cum magno teneo fastigia Nato :
 4 sub pedibus video currere saecula meis.
 5 Me tamen inveniet, qui me bene quaerit in orbe ;
 6 natorum in casto corde, superstes ero.

DE EADEM.

P6_27 v.1 Aemula sideribus, radiantia sidera vincis ;
 2 aemula castrorum, castra inimica fugas.
 3 Lucifer, audacter qui Natum in bella lacessit,
 4 territa dat sacro terga supercilio.
 5 Tam bene quae pugnat, rediviva ex morte triumphet ;
 6 et premat hanc, plantis ut premat astra suis.

DE EADEM.

P6_28 v.1 Quid genus ingratas iteras mortale querelas ?
 2 Hic manet, aethereis reddita Virgo plagis.
 3 Utilis haec natis praesens absentia ; rapta
 4 sollicitae natis cura Parentis erit.
 5 Utilis haec natis absens praesentia ; raptae
 6 cujus apud natos corda Parentis erunt.

AD EAMDEM.

P6_29 v.1 Te duce, compositis mitescunt saecula bellis,
 2 fractaque truncato colla dracone jacent.
 3 I, pete solemni stellantia limina pompa :
 4 Martis opus cessat, te sacra palma vocat.
 5 Te vocat ad dextram Natus : Pater ipse coronam
 6 jam parat ; ardentem Spiritus addet opes.
 7 Virgineum tibi Virgo decus, cum matris honore,
 8 qui dedit, is caeli quid nisi summa dabit ?

AD EAMDEM ASCENDENTEM.

P6_30 v.1 Virgo, triumphali petis aurea sidera cursu,
 2 et desolatam rapta relinquis humum.
 3 Quid facient agni dulci sine Matre ? Quis illos
 4 proteget, infesto dum fremit ore leo ?
 5 Te sine mors vita est ; tecum mors, vita, manere
 6 est opus ; aut natos, Virgo, perire tuos.

AD EAMDEM.

P6_31 v.1 I, decus i, nostrum Virgo, super aethera ; poscit
 2 Patris amor, Nati gloria, Matris honor.
 3 Nec tibi natorum venient obliviam, Mater :
 4 quos tener, in molli pectore, fixit amor.
 5 Si fors displiceant tibi nostra piacula, grata
 6 pignora erunt Nati parta cruore tui.

AD EAMDEM.

P6_32 v.1 Virgo Parens, summum traxisti ex aethere regem,
 2 aurea te superum Rex super astra trahit.
 3 Felix seu traheris, seu dum trahis ipsa Tonantem :
 4 utraque sors meritis debita, Virgo, tuis.

AD EAMDEM.

P6_33 v.1 Excipis hospitio, Virgo fecunda, Tonantem
 2 excipit hospitio te Deus ipse suo.
 3 Pectore Virgo Deum : solio Deus excipit aureo ;
 4 nec dare tu melius, nec Deus ipse potest.

DE VIRGINE IN CAELO DEPRECATRICE.

P6_34 v.1 Astat ovans Nato Genitrix super aethera, caris
 2 prospiciat natis ut studiosa suis.
 3 Ignibus armatos solet exarmare furores,
 4 Filius in sontes cum fera tela parat.
 5 Prisca ministeria, et sacra incunabula profert,
 6 quaeque tulit, duram dum stetit ante crucem :
 7 se super affectat natis impendere ; fare,
 8 quis sub tam dulci Matre perire potest ?

DE EADEM.

P6_35 v.1 Iudicis aeterni Genitrix conscendit in aulam,
 2 mitiget ut natis iudicis ora suis.
 3 Gaudet honore Parens : sed plus quod leniet iras ;
 4 tam bene vult natis, quam sibi blanda Parens.

AD EAMDEM.

P6_36 v.1 Regnantem superis te, Virgo, Europa salutat,
 2 teque Asiae, et Libyae regna opulenta colunt.
 3 Te Stygii manes, te pronus adorat Olympus :
 4 Sol sibi dat vestes, sub pede Luna jacet.
 5 Corda supercilio, Genitrix, turbata serenas,
 6 et facis aspectu regna beata tuo.
 7 Natum exarmando, melioribus induis armis :
 8 fortius en Agnus quam Leo bella movet.
 9 Gratia, divitiae, tua summa potentia ; magnis
 10 te titulis, natos utilitate beant.
 11 Aspectu Matris vincis dona ipsa ; priusquam
 12 munera des, natis das tua corda tuis.

DE BEATA VIRGINE IN CAELO REGNANTE.

P6_37 v.1 Quae rapit attonitum forma immortalis Olympum,
 2 tam terram aspectu quam beat astra suo.
 3 Tam rapit humanos humano ex pectore sensus,
 4 dulce sit ut, leto deproperante mori.
 5 Majestatis inest tantum sub fronte serena,
 6 tanta supercilio gloria, tantus honor !
 7 Sic sibi conciliat mundum Regina ; nitores
 8 tam dulce irradiant, tam grave pondus habent !
 9 Regina astrorum est, terrarumque una, tremendum
 10 cui caput inclinant Tartara, terra polus.
 11 Si forma imperio digna est, et culmine regni,
 12 haec forma imperio regia, digna suo est.

DE EADEM.

P6_38 v.1 Post sedem augustam, et solium sublime Tonantis,
 2 prima triumphantis gloria Matris erit.
 3 Sed procul a solio distabit Virginis aureo
 4 quisquis ab Augusta Virgine primus erit.

DE SANCTISSIMA MARIA MAGDALENA.

PARAENESIS: DE MAGDALENA PECCATRICE AD CHRISTUM.

P6_39 v.1 Ac si nulla forent, sic vixi, Numina ; monstra
 2 omnia sub nostro sunt stabulata sinu
 3 quotque mali species, tot sunt mihi crimina : cedant
 4 omnia criminibus, saecula prisca meis
 5 arma ferox in te, violentaque tela paravi,
 6 divitias, formam, lumina, corda, comas.
 7 In te alios etiam furiis accensa coegi,
 8 impia sacrilega sumere tela manu.
 9 Non satis in poenas Styx, et tormenta Gigantum,
 10 non satis in poenas Tartara saeva meas.
 11 Oceano majora fero, majoraque mundo
 12 pondera, quae vasta pectora mole gemunt,
 13 ante pedes procumbit onus, viresque laborant :
 14 dulcis anhelantem dextera, Christe, levet.
 15 Si levet ante pedes, dulcis modo dextera, jacentem,

16 ante tuam stabit, pondere fixa, crucem.

DE EADEM.

P6_40 v.1 Qualiter eructant Aetnaea cacumina flammam,
 2 taliter ardentem sum jaculata faces.
 3 In me conjurant elementa minacia, caelum,
 4 sidera, sol, Stygio Tartara nigra sinu.
 5 Suscitatur ardentem quoties tua dextera flammam,
 6 deterret gravibus, me gravis ira minis.
 7 Tuta satis scelerum nulla est fuga ; tutius ille
 8 ad te confugit, qui tua tela timet.
 9 Ad tua confugio supplex vestigia : parce,
 10 viscera qui dulcis blanda parentis habes.
 11 Si libet ulcisci, vindex ulciscere ; numquam
 12 funera per dulces dantur acerba manus.

DE EADEM.

P6_41 v.1 Aspiciens, caderem scelerum praeterita mole,
 2 ni tua tam pietas prodiga, Christe, foret.
 3 Tu veniam causas in te, mitissime, sumis :
 4 repperit has ardens, et generosus amor.
 5 Si libet irasci, merui grave fulmen, et ignes
 6 mitte coruscanti tela trisulca manu.
 7 Ure, seca, macta, duroque interfice ferro ;
 8 tam pulchrum, vita plus ego funus amo.

DE MAGDALENA AD CHRISTI PEDES.

ELEGIA.

P6_42 v.1 Christe Amor, et Pietas, imis mihi fixe medullis,
 2 promere delicias hic tibi gestit onyx.
 3 His tibi puniceam cupio super ungere frontem,
 4 quae mihi supplicii sint monumenta tui.
 5 Sume precor lacrimas gemino de lumine ; rores
 6 hos tibi de molli pectore, fundit amor.
 7 Proh dolor ! in vanos vanum divisit amores
 8 pectus amor : caesum vulnera quanta tulit !
 9 Hei mihi, quot laesi formae splendore rapinas
 10 quot feci, Stygii facta rapina ducis !
 11 Frena cupidinibus rexit malesana cupido :
 12 arbitrium mentis quam penes omne meae.
 13 Vana animo, vana ingenio sectabar : et aureae
 14 cura mihi formae, cura decoris erat.
 15 Si quis odoratos, nardo spirante, capillos
 16 extulit, exilii laeta decore comae.
 17 Si quis depictae laudavit lumina formae :
 18 exilii formae lumine laeta meae.
 19 Nunc oblita mihi jam cetera, dulcis Iesu,
 20 principum, et nostri finis amoris eris.
 21 Praeterit aetatis breve ver florentis, et aevi ;
 22 optima dum fugio, deteriora sequor.
 23 Semina quae sparsi ridentia, carpo dolorem :
 24 nec desideriiis par venit ille meis.

25 O utinam, in maestos maestissima solverer imbres :
 26 femina laetitia par mihi nulla foret.
 27 Cetera, te praeter, fastidio, dulcis Iesu :
 28 Corde tuo hospitium nunc mihi dulce paro.
 29 Inde mihi promam Nardi spirantis odores,
 30 effundamque super balsama rara comas.

DE EADEM.

P6_43 v.1 Dum veneranda super vestigia fundit odores,
 2 et lavat irriguo Magdalis imbre pedes,
 3 his lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro,
 4 Christus olorinae carmine vocis, ait :
 5 "Crimina quod damnas, vincisque animosa pudorem,
 6 et cadis ante meos, mitis ut agna, pedes,
 7 parcimus, et scelerum commissa remittimus ultro :
 8 et tibi in aethereos jus damus omne polos."
 9 Crimina caelestes patefacta merentur amores :
 10 clausa aperit merito Numen ; aperta tegit.

AD EAMDEM.

P6_44 v.1 Dum te, diva, tui nova fax exurit amoris,
 2 quam fuit obsequiis officiosus amor !
 3 Sacra ferunt teneri Domini ad convivium fletus,
 4 quos tener e gemino fonte ministrat amor.
 5 Lumina quae validis sparsere incendia flammis,
 6 fletibus exstinguunt quas retulere faces.
 7 Mira facis, mulier ; lacrimis exstinguis Avernum :
 8 igne mades, caeca es lumine, rore cales.
 9 Placat amoris amor violenta incendia ; nempe
 10 antidotum est turpis castus amoris amor.

DE MAGDALENA JUXTA CRUCEM.

P6_45 v.1 Excubat ante crucem morientis Diva Tonantis :
 2 maestaque dum spectat funera, funus erat.
 3 Desuper, erumpens per hiantia vulnera sanguis
 4 labitur ; et pectus purpurat, atque sinus.
 5 Inde manus, atque ora fluens nova purpura tingit.
 6 Inque genas rosei sanguinis unda fluit.
 7 Alba colorantur velamina caede recenti :
 8 fit similis Domini Magdalis imbre sui.
 9 Tunc sic alloquitur morientem : "O sola voluptas !
 10 O Amor ! O vitae vita suprema meae !
 11 Diluerint lacrimae rosei nisi signa cruoris,
 12 hae mihi sint roseae semper in ore notae.
 13 Si nihil est quod ames in me, dum crimina damnas :
 14 in me particulas respice, Christe, tuas."

AD EAMDEM.

P6_46 v.1 Quae perstas inter Domini fortissima poenas
 2 femineo robur corde virile geris.

3 Femineum natura dedit tibi pectus, et ora :
4 igneum sed pietas vincere posse viros.

AD EAMDEM.

P6_47 v.1 Unguenti multum dederant alabastra ; liquoris
2 plus fudere oculi, Magdali sacra, tui.
3 Unguenti cum fudit onyx redolentis odores,
4 ostendit largas dextera dives opes.
5 Ipse sui, lacrimas dum rosida lumina fundunt,
6 prodigus ostendit quam sit amoris amor.
7 Effecere duos lacrimantia lumina fontes,
8 fusa solo, Domini dum lavis imbre pedes :
9 de cruce pendentis Domini, dum funera ploras,
10 oceanum geminum lumina flentis agunt.
11 Scilicet oceanum geminum meruere cruores,
12 diluvii, rubra qui nece, more fluunt.

AD EAMDEM.

P6_48 v.1 Dic ubi fel, gustans renuit quod dulcis Iesu,
2 ad sacra, ter felix, quod venit ora Dei ?
3 Magdalis hoc nimio patiendi ardore recepi ;
4 cor pro vase dedi ; mellea felle fui.

DE MAGDALENA IN MASSILIAE SOLITUDINE.

P6_49 v.1 In caelum scopuli, praeruptaque saxa minantur,
2 hic spelunca cavo flat latebrosa sinu.
3 Intus aquae dulces, vivoque cubilia saxo,
4 has coluit quondam Magdalis exsul opes.
5 Veste carens omnis passis vestita capillis :
6 hic gelidas vicit pectoris igne nives.
7 Fregit Avernalis luctantia colla draconis,
8 milleque, fumanti sub Styge, monstra dedit.
9 Quam bene deliciis mutat caelestibus escas !
10 Quam bene caelesti nectare, mutat aquas !
11 Condit ovans longos, Cereris sine munere, soles :
12 arida nec liquidis ora levantur aquis.
13 Dum sacer Isacidum famulantia viderit astra,
14 aligerum famulas plus videt ista, manus.
15 Aligerum super astra choris defertur, et audit
16 carmina mortali non referenda sono.
17 Dulcis in antra suum rorantia ducit Iesum,
18 et fruitur Domini dulciter ore sui.
19 Et Deus et superi dulci famulantur amori,
20 delicias caelo Magdalis una facit.

AD EAMDEM.

P6_50 v.1 Sola sub exesis vivis, Matriona, cavernis :
2 pocula fons vitreus porrigit, herba dapes.
3 Antra domum, vestes coma, dura cubilia rupes ;

4 talia nunc tacita fas tibi voce loqui.
 5 Cerera contemno mortalia, cetera nolo,
 6 dum mihi sit Sponso fas modo posse frui.
 7 Illius in vultu contemplor ut omnia : vultus
 8 sic mihi, cum sperno cetera, solus adest.

AD EAMDEM.

P6_51 v.1 Dum chorus Aligerum, sublimem ad sidera tollit,
 2 aure bibis dulces deliciosa modos.
 3 Saepius hoc iterat Superum manus aurea : divum
 4 concentu possis quo propiore frui.
 5 Praeludit certis sponsus tibi, Diva, triumphis :
 6 laetaque de lacrimis fit tibi palma tuis.

DE MAGDALENA MORTI VICINA.

P6_52 v.1 Pingit olorinis senium mihi tempora canis :
 2 nec tamen in nostro corde senescit amor.
 3 Tempora labuntur : senio lacerantur amictus,
 4 integer in dulci mente perennat amor.
 5 "Est ubi thesaurus, spectant mea lumina caelum ;
 6 o mihi quam vilis pressa videtur humus !
 7 Sola super viles restant vestigia terras :
 8 deripit aetherius lumina fessa polus.
 9 Si sint in terris (fateor) mea lumina flectent,
 10 queis sine nec fuerint sidera pulchra, pedes."

DE OBITU EJUSDEM SINE MARTYRIO.

P6_53 v.1 Vulnera cum dulces prompte patiantur amores,
 2 vulnere cur nullo Magdalis icta cadit ?
 3 Nil nisi vulnus erat Solymarum in rupe Magister :
 4 in cruce sublimis, nil nisi vulnus erat.
 5 Caesa manus, caesum numeroso vulnere corpus :
 6 vulnera vulneribus juncta, tulere necem.
 7 Fronte super lacera rorabant sanguine vepres :
 8 ferrea purpureum ruperat hasta latus.
 9 Ante crucems stabat Matrona : hinc mille ferebat
 10 vulnera : de tanto vulnere, vulnus erat.
 11 Non opus est ferro tam caeso in pectore ; nullum
 12 si ruat, inveniet jam nova plaga, locum.
